

1668.

1. Schultze, Bernhardus: Operaticus jus inuicem, ad P. vest.
Leganda III Casus. III quest. I.

2^a Schultze, Bernhardus: De jure naturali. 2 Sumpt. 1668
1676.

1669;

1. Schultze, Bernhardus: De oppositione tertii seu
juri interventionis.

2. Schultze, Bernhardus: De natura, affectionibus
et differentia rerum mobilium et immobilium.

1670.

1. Schultze, Bernhardus: ~~Est~~ Suppletio precepti decalogi:
non occides.

1671

1. Postelius, David: De jure possessionis.

2. Schultze, Bernhardus: Non furtum facies.

3. Schultze, Bernhardus: De traditione ficta.

1672.

1^a Schultze, Bernhardus: De alienatione bonorum ecclesiarum
licorum. 2 Sumpt. 1672: 1712.

1672

2. Schultze, Bernhardus : De Indaciis.
- B. Schultze, Bernhardus : De bonis uclerbaticeis

1673.

1. Schultze, Bernhardus : De bonitate monetarum
2. Wippsornen, Engelbertus : De furtis

1674.

1. Pinner, Johannes Helphicus : De retracta consanguinitatis




[Faint, illegible handwriting, possibly bleed-through from the reverse side of the page]









7857.

Dissertatio Academica
De Jure Naturali

M
2

Quam
EX PRIVATIS PRÆLECTIONIBUS GRO-
TIANIS COLLECTAM
Divino favente Numine

1668, 2. a

Sub Prasidio
VIRI Nobilissimi, Consultissimi & Excellentissimi
DN. BERNHARDI
Schulken

79

Jeti, Pandect. in Illustri Acad. Hasso-Schauenb.
Prof. Publ. Celeberrimi, Consilarii item Hassiaci, nec non Consistorii
Ecclesiastici, quod est Rinthelii, Adfessoris gravissimi,
acceptoris, Patroni ac Promotoris sui magni ac atemque
venerandi.

F 20

Publico Dnn. Studiolorum examini submitter.
Antho[n] Burchardt Reichen
Sachsenhag. Schaumb.
Ad diem Jun hor. matut.



RINTHELII

Typis G. C. Wächters, Acad. Typ. An. 1668.

34.



De Jure Naturali

EX PRIVILEGIO REVERENDISSIMI SACR. SACR. PALATII ARCHIEPISCOPI ELECTORIS
SACR. SACR. PALATII ARCHIEPISCOPI ELECTORIS


DR. BERNHARDI

1717
Pars 1. de iure naturali
Pars 2. de iure gentium
Pars 3. de iure civili
Pars 4. de iure politico
Pars 5. de iure militari
Pars 6. de iure medico
Pars 7. de iure mathematico
Pars 8. de iure philosophico
Pars 9. de iure historico
Pars 10. de iure geographico
Pars 11. de iure astronomico
Pars 12. de iure meteorologico
Pars 13. de iure botanico
Pars 14. de iure zoologico
Pars 15. de iure mineralogico
Pars 16. de iure chimico
Pars 17. de iure pharmaceutico
Pars 18. de iure veterinario
Pars 19. de iure veterinario
Pars 20. de iure veterinario



R I N T H E L I I

Typo G. V. ...





THESIS I.



Riplicem significa-

tionem juris tradit Grotius
d. I. B. & P. lib. 1. cap. 1. n. 3.

& seqq. Primam, quâ jus nihil

aliud, quàm quod justum est,

significat, idque negante ma-

gis sensu, quàm ajente, ut *jus*

~~fit id~~, quod injustum non est;

injustum verò, quod naturæ

societatis ratione utentium re-

pugnat. Sic Cicero in aureo

suo opusculo *de Officiis* 3. alte-

ri detrahere sui commodi causâ contra naturam esse dicit, idq; ita confirmat, quia, si id fiat, societas hominum & communitas evertatur necesse sit. Dicitur verò aliquid justum aut ex causa, aut secundum effectus. Ex causa, aut speciali acceptione justitiæ, aut illa generali, quâ omnis rectitudo eo venit nomine. Acceptio specialis dispescitur iterum in eam, quæ ad opus pertinet, & eam, quæ pertinet ad operantem: hic enim justè agere interdum dicitur, quoties non agit injustè, licet id, quod agit, justum non sit, sicuti rectè distinguit Arist. summus dicendi artifex *lib. 5. Eth. c. 10 II. Rhet. 1. c. 13.* inter injustè agere, & agere, quod injustum est, *Victoria d. I. B. n. 92. Suarez d. LL. lib. 3. c. 18. Augustin. de Civit. Dei l. 15. c. 5. l. 19. c. 15. Speciali, & ad ipsum opus relatâ acceptione, facultas moralis ad contraria i. e. ad agendum & impediendum, per rei ipsius naturam non datur; ut verò neutra pars bellantium, vel litigantium injustè agat, fieri potest; nemo enim formaliter injustè agit, nisi qui novit, se rem injustè agere. At verò multi id ignorant; Hinc*

A

justè





justè, vel bona fide potest litigari utrinque. Generali acceptione justum dici potest, quod omni culpâ agentis vacat; multa verò sine jure fiunt absque culpa ob ignorantiam inevitabilem. Sic in litibus accidere potest, ut utraque pars litigantium non modò injustitiæ, sed omni alio vitio careat, maximè quando pars utraque, aut altera ex tutoris officio, cui congruit jus etiam incertum non deserere, litigat. Arist. lib. 3. Rhet. c. 17. lib. 2. 8. Nic. §. 12. Si verò justum accipitur quoad effectus juris, multa dicuntur justa, quæ aliàs sine jure fiunt: sic sententia non ex jure lata, & sic possessio sine jure, habent quosdam juris effectus, & hoc sensu bellū dici potest ab utraq; parte justum. Grot. ad Evang. cap. 5. Matth. p. 127. & d. I. B. & P. lib. 2. cap. 23. Porro justum aliud dici solet Solenne, eo sensu, quo justum testamentum codicillis, justæ nuptiæ servili contubernio opponuntur, non quod non liceat & codicillos facere ei, qui velit, & servo secum mulierem habere in contubernio, sed quod testamentum & nuptiæ solennes peculiare quosdam ex jure civili effectus habeant: Aliud verò non solenne, quod non ideo justum esse definiti. c. juri congruens, Grot. d. I. B. & P. lib. 1. c. 2. n. 4. Nonnunquam naturaliter sumitur pro eo, non quod fas, sed quod recepti passim moris est: & hoc est, quod ait Pomponius l. in causâ cognitione 16. §. 4. ff. d. minor. & l. item si pretio ff. locat. In pretio venditionis & emtionis naturaliter licere se mutuò circumvenire. Vid. Guilel. Amesius de Conscient. lib. 5. c. 42. n. 31. Cardinal. Mantic. d. tacit. & ambig. convent. lib. 4. tit. 20. n. 53. & mult. seqq. Didac. Covarruv. var. resol. lib. 2. c. 3. n. 2. Leonard. Less. d. just. & jur. lib. 2. c. 21. dub. 4. quomodo & ap. Apost. Paul. 1. Corinth. XI. 14. dicitur ipsa natura docere, viro turpe esse comam alere, quod tamen naturæ sociali non repugnat, & apud multos populos usitatum est: et idolorum cultores naturâ vanos appellat Scriptor libri Sapientiæ XIII. 1. Pomponius Ictus in l. 7. jus nostrum ff. d. R. I. cum dixisset, jus Romanum non pati, eundem in paganis & testato & intestato decedere, addidit, naturaliter in se pugnam esse, cum tamen illa regula à solis Romanorum moribus pendeat, nec apud alios populos locum habeat.

Grot.



Grot. in *manuduct. jurisprnd.* c. 18. Gudelin. *d. jur. novissim.* lib. 2. c. 5. Paul. Christin. in *decis. Belg. vol. 1. decis. 51. n. 48.* & *decis. 312. Volum. 4. decis. 10. n. 3.* Grotius *d. I. B. lib. 2. c. 12. n. 26.* Et in *l. 24. Lex naturæ ff. d. stat. hom.* Lex naturæ hæc est, ut, qui nascitur sine legitimo matrimonio, matrem sequatur, i. e. Lex consuetudinis generalis ab aliqua ducta ratione naturali, quia scilicet Romani & multæ aliæ gentes volebant nullam esse rationem cognoscendi partus nisi per nuptias, Grot. in *Flor. spars. ad jus just. in d. l. 24.* & *d. I. B. lib. 2. c. 5. n. 29.* & *lib. 3. c. 27. n. 5.* Huc pertinet, quod Grotius in *tract. d. satisfact. Christi c. 3. pag. 53.* docet ajens, *Non sequi injustam ex quavis negatione justis etiam positis iisdem circumstantiis. Quemadmodum enim non sequitur: Si liberalis Rex dicendus est, qui alicui mille talenta dederit, ideo, si non dederit, illiberalem fore: ita non est perpetuum, ut id, quod justè fiat, non nisi injustè omittatur.* Et *d. I. B. lib. 1. c. 3. n. 4.* Multi enim voce justis malè intellectu, damnari putant, ut iniqua aut illicita bella omnia, quibus ista justis appellatio non convenit. Et *lib. 1. c. 2. n. 1.* Hoc ipsum verò, quod honestum dicimus, pro materia diversitate, modo (ut ita dicam) in puncto consistit, ut si vel minimum inde abeas, ad vitium deflectas; modo liberius habet spatium, ita ut & fieri laudabiliter, & sine turpitudine omitti, aut aliter fieri possit, fermè quomodo ab hoc esse ad hoc non esse statim fit transitus; at inter aliter adversa, ut album & nigrum, reperire est aliquid interpositum, sive mixtum, sive reductum utrinque. Et in hoc posteriori genere maxime occupari solent leges tum divinae tum humanae, id agendo ut, quod per se laudabile tantum erat, etiam deberi incipiat.

II. Ab hac significatione juris diversa est altera, verum ab hac ipsa veniens, quæ ad personam refertur. Hoc sensu jus est Qualitas moralis personæ competens ad aliquid justè habendum vel agendum. Duplex enim est in homine agendi facultas, una naturalis, quâ naturæ viribus potest edere actum aliquem, aut illum intermittere, non attento eo, rectène fiat an non. Sic enim homo de facto potest committere furtum, homicidium & alia legibus interdicta. Hæc potentia naturalis est vis quælibet producendi aliud i. e. quod habet essentiam, si non specie, saltem numero diversam, non verò necessum est, ut sub-



jecto diversum sit. Sic ignis calore suo alium calorem in aqua vel ligno producit. Arist. *lib. 5. Metaph. cap. 12. & lib. 9. cap. 1.* potentiam activam definivit, quod sit principium transmutandi aliud, aut quatenus est aliud. Sic ars medica est principium, quod Medicus curat alium. Quod si Medicus se ipsum curat, non curat se, ut Medicum, sed ut ægrum, & sic quodammodo alium. Potentia passiva est principium transmutationis factæ ab alio: ut cum æger curatur à Medico. Quod si verò contingat, ut quis Medicus simul sit & æger, & à se ipso curetur, non curatur à se ut ægro, sed ut à Medico, & sic quodatenus alio. Vid. Mendoza *disp. Physic. II. sect. II. §. 22.* Altera moralis in homine est, quæ actionem voluntariam legitime potest edere, Puffendorff. in *Element. Jurisprnd. Univers. lib. 1. def. 14.* quæ Græcis ferè ἐξουσία, Grot. ad Evangelist. Johan. *c. 10. v. 18. & c. 19. v. 10. II.* Latinisque potestas potius, quàm Potentia dicitur, Grot. *d. I. B. lib. 2. c. 5. n. 3.* in eo consistit, quod aliquis possit jure agere, sive habeat vires ad agendum necessarias, sive non. Hæ duæ potentia, Physica & Moralis, non sunt semper conjunctæ, nec semper invicem separata. Possunt enim multi agere quod non licet, quibus Physicæ vera potentia, nullum verò jus, nulla facultas in genere morum tribuitur. Nonnulli illud, quod jure fieri potest, agere non possunt, utpote quibus facultas moralis sine potentia Physica competit, ut si quis non possit vim vi repellere, cujus tamen repellendæ moralem potestatem habet. Grot. *d. I. B. lib. 1. c. 2. & lib. 2. c. 1.* In aliis verò Physica & Moralis potestas conjunguntur, ut per naturæ vires possint agere, nec jure prohibeantur, sicuti Reges valde potentes vires sive potentiam defendendi regni sui, & jus sive moralem potestatem obtinent. Excellentiss. Dn. Musæus in *Instit. Metaph. c. 5. §. 18. 19.* Notandum hic, quod pauciora requirantur, ut ratus sit actus, quàm ut recta sit actio. Ut enim recta sit actio, necesse est, ut procedat ex intellectu bene informato, deinde ut adsit modus & circumstantiæ debitæ. Grot. *d. imp. circ. sac. c. 5.* Ut ratus sit actus, nihil aliud requiritur, nisi ut sit in jure agentis. e.g. Judex aliquis imperitus injustam sententiam protulit, peccavit ille, nec tamen nulla est sententia, sed nisi appellatio subsequatur, transit in rem



rem judicatam, Grot. *d. I. B. lib. 2. c. 23. n. 13. in fin.* Privatus, cui bonis interdictum non est, temeraria largitione rem suam alteri donavit, vitiosa est actio, valet tamen alienatio, Grot. *d. I. B. l. 2. c. 5. n. 10.* Si æquo duriores sint parentes in liberos, domini in servos, culpâ non carent, nec eò minus ipsorum imperiis obtemperandum est. Grot. *d. I. B. lib. 1. cap. 4.* Est verò actio aliqua in genere morum extra jus agentis, aut absolute aut relate. Absolute extra jus agentis sunt omnia, quorum effectus sunt illiciti per se, aut ex lege jam existente. Relate, quorum effectus etsi liciti sunt, non tamen subsunt potestati agentis. Naturaliter itaque & sequestratâ lege positiva nullus actus est irritus, nisi cujus effectus aut vitium habeat inseparabile, aut extra jus sit agentis. Priori modo irritum est imperium patris, Domini, Regis, quò quis jubetur mentiri, aut idolum adorare, non servare juramentum. Hic enim valere debet Apostolicum illud: Deo potius obediendum, quàm hominibus; quod non tantum Apostoli dixerunt, sed & Socrates. Et apud Magistros Hebræorum extat sententia indicans, Regi contra legem quid præcipienti prorsus non parendum, Grot. *d. I. B. lib. 2. c. 26. n. 3.* Rex Ægypti obstetricibus imperat Hebræorum infantes mares interficere, non parent. Exod. I, 15. causa additur: quia Deum timebant. Deus enim per naturam vetat hominem innocentem occidere. Antonius Caracalla Papiniano Jurisconsulto imperat, ut parricidium ab illo factum defendat, recusat ille, & mori mavult, quòd sciret, cum jure naturæ & gentium pugnare, mentiri & patrocinium tanto sceleri præstare, Grot. *d. imp. summ. potest. circ. sacr. c. 3. p. 51. & seqq.* Nec actus superiorum hoc efficere potest, ut jusjurandum quatenus verè fuit obligatorium, non sit præstandum: id enim juris naturalis est & divini, Grot. *d. I. B. lib. 2. c. 13. n. 20.* Sicut enim in naturalibus causæ inferiores in agendo à superioribus dependentes, contra superiorum efficaciam vim agendi non habent: ita etiam in moralibus. Quare talia imperia, quatenus directè imperio divino contra eunt, obligationem (qui proprius est & proximus imperii effectus) parere nequeunt. Optimè Augustinus: *Si aliquid jusserit Curator, non faciendum est? non tamen si Proconsul jubeat: non utique contemnis potestatem, sed eligis majori servire. Rursus si*



ipse aliquid jusserit Proconsul, aliud jubeat Imperator, numquid
 dubitatur illo contempto illi esse servendum? Ergo si aliud Impe-
 ratoꝝ, aliud jubeat Deus, quid judicatur? major potestas Deus,
 da veniam o Imperator. Præterea etiam cum ea, quæ alteri
 nupta est, matrimonium haud dubiè irritum est lege naturæ,
 nisi vir prior eam dimiserit, quia & facultas moralis deest sub-
 lata per prius matrimonium, & omnis effectus est vitiosus; sin-
 guli enim actus contrectationem habent rei alienæ, Grot. d. I.
 B. lib. 2. c. 5. n. 11. Et nullas vires habet jurata promissio de
 re illicita aut naturaliter aut divina interdictione aut etiam hu-
 mana. Bene Philo Judæus: ἴστω ἡ πᾶς ἐνωμότως ἀδικαῖ
 δρῶν, ὅτι εὐορκήσῃ μὲν ἔ, τὸν δὲ πολλῆς φυλακῆς καὶ σπιμελείας
 ἀξιον ὄρκον ἀνατρέπει, ὡς τὰ καλὰ καὶ δίκαια πιστοφραγίζεται.
 προσίθεται γὰρ ὑπαίτια ὑπαίθιοις, ἐν ἔ δέοντι γινόμενοις ὄρ-
 κῆις, οἷς πολὺ βέλτιον ἦν ἡσυχάζεσθαι πρὸς ἄλλους ὡς ἄνομους.
 ἀπεχόμενοι ἔν τῃ ἀδικωπραγίᾳ πηνιάσθω τὸν θεὸν ἵνα
 μεταδῶ τῆς ἰλεω δυνάμεως αὐτῶν συγγενῆς ἐφ' οἷς ἀβελία
 χρῆσάμενος ὤμοσε. διπλάσια γὰρ αἰρεῖσθαι κακὰ, δυνάμε-
 νον τὴν ἡμίσειαν αὐτῶν ἀποφορτίζεσθαι, μανία καὶ φρενο-
 βλάβεια δυσίαται. Sciat quisquis ob juramentum injusti
 aliquid molitur agere, non se jurisjurandi observantem fore, sed
 potius eversoꝝ jurisjurandi, quod magna cura ac religione di-
 gnum est, & quo honesta ac recta sanciri solent. Addit enim cul-
 pam culpa, juramento non rectè facto, & quo abstinere satius fue-
 rat, actum illegitimum. Quare ab injusta actione abstinens Deum
 veneretur, ut quæ ipsi est maximè propria misericordiam ei im-
 pertiat. Nam dupla eligere mala, cum parte altera exonerari
 possis, insanabilis est furor & mentis inopia. Grot. d. I. B. lib. 2.
 cap. 13. num. 6. Imò etiam si res, quæ promittitur, non sit illicita,
 sed majus bonum morale impediens, nec sic valebit jus-
 jurandum, quia profectum in bono Deo debemus, ita ut ejus
 libertatem eripere nobis ipsis non valeamus. Planè frequens
 fuisse Judæis, ut non voto tantum, sed & jurejurando se ob-
 stringerent, ne huic aut illi beneficerent, tum ex Hebræorum
 Magistris, pessimis hæc in parte juris divini interpretibus, di-
 scimus



scimus, tum ex Philone Judæo, quem adscripsit Grot. d. I. B. d. c. 13. n. 7. εἰσὶ δὲ οἱ τὴν φύσιν ἀμικτοί, καὶ ἀκοινώνητοι δι' ὑπερβολὴν μισανθρωπίας γεγονότες, ἢ καὶ ὑπὸ ὀργῆς οἷα καλεπῆς δεσποίνης ἐκβιασθέντες. ὄρκω τὴν ἀγριότητα πεισύνῃαι τῶν ἡθῶν, οἵτινες ἢ φασιν ὁμοτράπεζον, ἢ ὁμόροφον ἔχειν τὸ δεῖνα, ἢ πάλιν τῷ δεινὸν μὴ ρέζειν ὠφέλειά τινά ἢ παρ' ἐκείνους τινὰ λήψεσθαι, καὶ μέχρι τελευτῆς. *Sunt quidam adeo duro atque insociabili ingenio, siue odio humani generis, siue dura domina iracundia subacti, ut morum feritatem jurejurando obfirmant, ut ne hunc habeant mensam aut lecti socium, ne illi bene unquam faciāt, ne quid ab eo ad mortem usq³ accipiant.* Hoc votum, quò firmitus sanctiusque esset, solebant, ut ex Matthæo & Marco liquet, adjici consecrationes rei in eum calum, si quando τῷ δεινὸν quicquam daretur, quò legisperitorum dogma meritò accusat legis divinæ optimus Interpretes. Nitebantur illi hoc argumento, quò præcepta Deum spectantia, iis essent anteferenda, quæ ad hominum utilitatem pertinerent, in hoc verò genere ponebant vota ac juramenta, in hoc verò omnia beneficentiæ nomina. Verùm, ut rectè probat Grotius *ad Evangelist. Matth. XV. 6. pag. 280.* non animadvertent homines miserâ superstitione fascinati, vota & juramenta esse modos, quibus obligemur; omnem verò obligationem ex jure eo, quò nobis competat, debere proficisci: quare materiam obligationis esse non posse, id quò ante ademtum sit nostræ libertati, ut est, non alere parentes. Nam & naturalis æquitas & lex per Mosen edita efficiebant, ne id liceret. Lex verò, quæ vota ac juramenta servari vult, intelligenda haud dubiè est de votis ac juramentis legitimis, hoc est, quibus id votetur aut juratur, quò honestum est, quòque est in voventis aut jurantis potestate: quare hoc casu lex illa objici non potest: debet ergo valere lex altera, quæ pietatem in parentes præcipit. Posteriori modo quando est actus contra jus agentis, irritum est imperium domini in servum alienum, Regum in non subditum, item cujuscunque hominis in actiones merè internas, & quæ ad externas nullo modo referuntur. Grot.



Imp. summ. Potest. circ. sacr. cap. 5. p. 100 & c. 3. p. 40. & d. I. B. lib. 2. c. 20. n. 18. & lib. 2. c. 4. n. 3.

III. Hæc qualitas moralis Grot. *d. I. B. lib. 1. c. 1. n. 4.* vel est perfecta, & dicitur facultas (quam Jcti nomine Sui appellant) à Grotio jus propriè & strictè dictum, sub quo continentur potestas, tum in se, quæ dicitur libertas, tum in alios, ut patria & dominica, de quo Grot. *d. I. B. lib. 2. c. 5.* dominium plenum sive minus pleno. Vel minus perfecta est, quæ dicitur aptitudo, quibus respondent in naturalibus, illi quidem actus, huic autem potentia. Est itaque perfecta potestas, cujus exercitium qui per vim atque illegitimè impedit (quod fit, quando illa potestas ab ipsius voluntate non dependet) injuriam facit, quæ læso adversus ipsum in foro humano actionem dat, cujus vicem bellum subit inter eos, qui communi judicij non subjiciuntur. Tale jus censetur ipsa natura dare ad omnia, quæ ad finem juris consequendi sunt necessaria, Grot. *d. I. B. lib. 2. cap. 5. num. 5.* necessitate sumta non secundum Physicam necessitatem sed moralem: Et dicitur jus strictè, facultatem agendi in solo societatis respectu significans. Si itaque quis vitam aliter servare non possit, licet illi vi qualicumque arcere eum, qui eam impetat, etiamsi forte is peccato vacet, Grot. *d. I. B. lib. 2. c. 1. n. 3. 4.* Quin & rem alienam, ex qua certum mihi periculum imminet, citra culpæ alienæ considerationem invadere & custodire possum, donec securitati meæ sit consultum. *Victoria de jur. bell. n. 18. & 39. & 55.* Grot. *d. I. B. lib. 2. c. 2. n. 10.* ubi pluribus exemplis hoc confirmat. Sciendum hinc ad jus agendi multa consequi indirectè & extra agentis propositum, ad quæ per se jus non esset uti hoc Grot. *d. I. B. lib. 2. c. 10. n. 4.* in sui defensione explicat. Sic navis piratis, aut domus latronibus plena, tormentis peti potest, etiamsi intra eandem navem aut domum sint infantes, mulieres, quibus inde creetur periculum. Grot. *d. I. B. lib. 3. c. 1. n. 4.* Lessius *d. just. & jur. l. 2. c. 9. dub. 7. n. 37.* Hæc est, cujus exercitio si quis illegitimè & per vim fuerit prohibitus, inhumaniter quidem tractatur, ut tamen non habeat actionem in foro exteriori humanae, si forte quod juri deest, casus necessitatis suppleverit; Puffendorf. *Jurisprud. Univers. lib. 1. def. 7.* Competit vero



verò nobis aptitudo duntaxat ad omnia, quæ alii nobis debent ex aliqua obligatione imperfecta, Puffendorf *d. lib. 1. defin. 12. §. 6. 7.* Grot. *d. I. B. lib. 2. c. 17. n. 2.* ibi: *At ex sola aptitudine, quod jus minus proprie dicitur, & ab assignatrice justitia spectatur, non oritur verum dominium, ac proinde restitutionis obligatio: quia non id alicui suum est, ad quod aptus est: πλεονεξεί & δέν, ait Aristoteles, ο & βοηθήσας χεήμασι δι' ἀνελευθερίαν.* Contra proprie dictam justitiam nihil committit, qui pecuniâ suâ alteri non succurrit prætenacitate. Cicero pro Cn. Plancio: *Est hæc conditio liberorum populorum, & c. posse suffragiis vel dare vel detrahere quod velit cuique. Et tamen mox subdit accidere ut populus faciat, quod velit, non quod debeat, voce debendi sumpta in laxiore significatu.* Et Grot. in tractat. d. *Imp. summ. potest. circ. sacr. c. 5. p. 109.* ibi: *E quibus apparet, non esse aptitudinem judicandi cum jure judicii publici sive imperativi confundendam. Neque enim aut aptissimus jus istud habet, aut qui per se aptus non est, jus ipsum amittit. Felices fore dixit Civitates Plato, si aut Philosophi regnarent, aut Reges Philosophi fierent. Neque tamen Philosopho licet Regium solium invadere, neque Rex ideo regni jure excidit, quia sapientia operam non dedit. Sic, si quis quid debet non ex justitia propria, sed ex virtute alia, puta liberalitate, gratia, misericordia, dilectione, id in foro exigere non potest, nec armis deposci. Nam ad utrumq; horum non sufficit, ut id, quod postulatur, sit ex morali ratione faciendum, sed præterea opus est in nobis jus quoddam ad illud, quale jus interdum leges divinæ & humanæ dant etiam circa debita aliarum virtutum, quod cum fit, nova tunc debendi ratio accedit, quæ jam ad justitiam pertinet.* Grot. *d. I. B. lib. 2. c. 22. n. 16. & lib. 2. c. 11. n. 3.* Puffendorf *d. lib. 1. d. 8. & 17. §. 5. 6.* Rectè itaq; Grot. *d. I. B. in prolegom.* sollicitè illa separanda monet, quæ juris sunt strictè ac proprie dicti, unde restitutionis obligatio oritur, & ea, quæ juris esse dicuntur, quia aliter agere cum aliquo rectæ rationis dictato pugnat. Id Grot. *d. I. B. lib. 2. c. 7. n. 4.* Cæterum Grotius *d. I. B. lib. 1. c. 1. n. 6.* facultatem novitate quadam pereruditâ & penè necessariâ divisit in Vulgarem & Eminentem, illamque descripsit, quod sit usûs parti-

B cula.



cularis causâ comparata; hanc, quæ superior sit jure vulgari, communitati competens in partes & res partium boni communis causâ, de qua Grot. *d. I. B. lib. 2. cap. 4. n. 7. 8. lib. 2. c. 21. n. 11. lib. 3. cap. 20. n. 7. & lib. 3. c. 1. n. 15. & lib. 1. c. 3. n. 6. & lib. 2. c. 15. n. 3. & in Flor. sparsion. ad jus Justin. ff. d. Offic. Prætor. & ad l. invitum C. d. contrah. emt.*

IV. Tertia juris significatio est, quæ idem valet quod lex. Quoties vox *Legis* largissimè sumitur, oportet legendâ verbum ad interiorem lectionem ampliari, Aleus. 3. p. q. 26. *memb. 1.* Sicut enim lex naturalis dicitur à Paulo scripta in cordibus ad Rom. II. 15. Ita in illis mente legi potest & debet, ut secundum illius regulam actiones nostræ dirigantur, juxta illud Psalm. CXXIX. 105. *Lucerna pedibus meis verbum tuum.* Cui Etymologiæ consonat nomen Hebræorum, quo Lex *Tora* dicitur i. e. instructio. Alii dictam putant ab eligendo, quia cum magna prudentia lex aliqua fieri debet; vel ostendit homini, quid fieri debeat, vel non, Augustin. *in question. ex novo Testamento q. 15. si ejus est opus Lex,* ait, à lectione, i. e. *electione dicta est, ut de multis, quid eligas, scias.* Div. Thom. 1. 2. q. 90. *art. 1.* Etymologiam legis à ligando derivat, est enim proprius effectus legis obligare. Isidorus verò *lib. 2. Etymol. c. 10. & lib. 5. c. 3.* à legendo legem dictam arbitratur, ideo quod lex sit scripta, Svarez *de LL. lib. 1. c. 1. n. 9.* Gabriel Vasquez *in 1. 2. D. Th. q. 90. c. 1.* In genere Lex definiiri posse videtur, quod sit rationis ordinatio, homini, quid agendum, quidve non agendum sit, ostendens, in commune bonum instituta. Svarez *d. lib. 1. c. 12.* Cujus definitionis tres partes sunt explicandæ. Primò dicitur: *rationis ordinatio;* Ut intelligamus, legem esse opus rationis seu intelligentiæ: est enim proprium rationis imperare, lex verò est ratio præcipiendi aut postulandi, exinde necessariò sequitur, quod quoad imperium à ratione ducatur, Div. Thom. 1. 2. *d. q. 90. art. 1.* Soto. *d. Just. lib. 1. q. 1. art. 1.* ita tamen, ut in lege non excludatur actus voluntatis: legem enim ferre non tantum est dicere aut proponere, quid fieri oporteat, verum etiam jubere, ut fiat. Quatenus igitur est regula, est operatio intellectus; quatenus vim obligandi habet, est actus voluntatis, quomodo S. Augustin. *lib. 22.*

contra



contra Faustum cap. 27. legem æternam dicit esse æternam rationem, vel voluntatem Dei, vid. Svaretz *d. LL. lib. 1. cap. 5. n. 20. & seqq.* Vasquez *d. q. 90. c. 2. 3.* Secundò additur: *hominib. quid agendum sit quidve non agendum ostendens.* Quibus verbis munus ipsius legis exprimitur, quod in eo consistit, ut bona præcipiantur, mala prohibeantur, simulque tria, quæ ad illud munus sunt necessaria, subindicantur: Legis honestas & justitia, Div. Thom. *1. 2. q. 96. art. 4.* Svaretz *d. LL. lib. 1. c. 9.* Autoritas secundò etiam est necessaria, ut aliqua ordinatio rationis vim legis habeat. Non utique est cujuslibet leges condere, sed ejus, qui potestatem habet, Div. Th. *1. 2. q. 90. art. 3.* Svaretz *d. LL. l. 1. c. 8.* Vasquez *d. q. 90. art. 3.* denique necessaria est promulgatio, seu sufficiens declaratio illius ordinationis, alioqui non obligat, proindeque nec rationem legis sibi propriè vendicat. Svaretz *d. lib. 1. c. 11.* Vasquez *d. q. 90. art. 4.* Tertio dicitur: *ad bonum commune instituta*; ut sciamus, finem legis esse bonum humanæ societatis. Svaretz *d. lib. 1. cap. 7.*

V. Lex Universim & latè sumta secundum Div. Thom. *1. 2. q. 91.* dividi potest in legem æternam & legem participatam. Ratio hujus divisionis ex eo peti potest: quia enim lex est regula & mensura, duobus modis potest esse in aliquo: Uno modo, sicuti in regulante & mensurante; alio modo sicut in regulato & mensurato. In Divina mente, tanquam in regulante est lex, quâ Deus ipse totum hoc universum præsertim creaturas racionales dirigit ac gubernat. Quia verò Divina ratio nihil concipit in tempore: lex illa sempiterna esse debuit, ac quasi ab omni æternitate divino verbo edicta, & in libro vitæ æternæ sempiternis characteribus descripta, & cum omnia, quæ divinæ providentiæ subduntur, ab æterna illa lege regulantur, omnia aliquâ ratione legem æternam participant. Inter cætera verò creatura rationalis modo quodam excellentiore divinæ providentiæ subjacet. Dirigitur enim per cognitionem & judicium, indeque lex illa æterna respectu tantùm creaturæ rationalis propriam legis rationem habet, B. Calixt *in Epit. Theol. Moral. part. 1. d. LL. pag. 46.* Svaretz *d. LL. lib. 2. cap. 1. & c. 2. n. 10. & seq.* quam Dei providentiam explicat Grot. *ad Evangelist. Matth. c. 10. pag. 207. & 208.* Ex his, quæ antè
B 2 dixi



diximus, colligimus in primo & formali conceptu legis æternæ geminum actum includi, unum ex parte intellectus Divini, quo ab æterno cognovit rerum omnium gerendarum ordinem, & quomodo unaquæque creatura in tempore suas actiones obire deberet; alterum ex parte voluntatis, quo Deus ab æterno voluit, ut hic vel ille ordo in creaturis observaretur. Prior actus est ipsa Dei scientia, quæ in naturalem & liberam dividi potest. Illa est ipsa Dei essentia, quatenus per illam ab æterno ante omne liberum voluntatis decretum Deus cognovit, quicquid possibile est esse vel fieri; Hæc est etiam ipsa Dei essentia, quatenus per hanc Deus cognoscit omne id, quod secundum ipsius decretum vel in aliquo instanti fuit, vel est, vel erit. Scientia, secundum quam Deus cuncta æternâ lege ordinavit, non est naturalis, quæ simplicis intelligentiæ, scientiæ dici solet, sed libera, Svaretz *de LL. lib. 2. cap. 3.* & parum refert, an actus Divini intellectus, an verò voluntatis de lege æterna in casu recto prædicetur, si saltè unus hoc modo exprimatur, alter verò in obliquo connotetur, argumento electionis, quæ, uti docet Arist. 3. *Nicom. 5. & lib. VI. II.* vel intellectio appetitiva est, vel appetitio intellectiva est. Homini lex æterna proponitur seu promulgatur eo ipso, quod divinitus naturam intelligentem accepit, per quam cognoscere possit, quæ sint honesta, quæ turpia & indecora. Deus enim ex præscripto legis suæ æternæ naturale rationis dictamen homini in sevit, ex quo cognitio & iudicium oritur. Hæc est ipsa lex naturalis, radius & participatio quædam æternæ legis, quæ sicuti nec ulla rei cognitio non actu, sed potentia proxima conascitur, & quamprimùm ratio se vindicare & exserere incipit, in actum prodit. Licet enim, quando homo in lucem editur, nullâ rerum notitiâ animus ejus imbutus sit, ita tamen Deus intellectum formavit, ut, postquam cum ætate ipsius vires se exserere cœperint, ex inspectione rerum naturalium notiones quasdam concipiat, uberiori scientiæ post superstruendæ inservientes, & ex contemplatione sui agnoscat, quas actiones ipsum tanquam naturæ suæ congruentes, creator obire voluerit, & quas vitare, tanquam eidem repugnantes, Puffendorf. *in elem. Juris P. Univers. lib. 2. obs. 4.* De hoc jure naturali cordatè iudicavit Seldenus *d. I. N. & G. juxta dispi-*



*disciplin. Ebraor. in Prefat. Naturalis juris, quaecunque id de-
mum fuerit peritiam, (id est, juris ejus, quod cunctorum hominum
ab ipsis rerum ipsiusque Natura creata initiis commune fuit seu
universorum cordibus, ut dici solet, inscriptum) non minus, nec a-
lio ferme modo juris Univerſi Divini humanique, quod citra ini-
tia illa positivum est, atque morum scientia exactiori conducere,
quam sapientiam, quam appellant primam seu Metaphysicam,
reliquis Philosophiae membris, quae sua ex illa mutuò accipiunt
principia, seu quam artes pure Mathematicas eis, quae sunt mixtae,
aut Epochas in temporum motuumque ratione, insequentium cal-
culo. Neque absonum est dicere, ab jure illo cetera multifariam
superinducta, velut surculos per insitionem accedentes à trunco,
cui inseruntur, sustentari aliq̄ue. Non defunt hoc nostro secu-
lo, & olim non defuerunt, qui hanc juris partem ita contemne-
rent, quasi nihil præter inane ejus nomen existeret. vid. Grot.
d. I. B. in præf. Imò in omnium ferme ore est Euphemi dictum
apud Tucydidem lib. 6. lib. 5. Regi aut Civitati imperium ha-
benti nihil injustum, quod utile, nec dubitant nunnulli Pseu-
doPolitici ad Regum ac Principum aures scelestæ hæc occi-
nere ex Lucan. Pharsal.*

— — — — Sidera terra
Ut distant & flamma Mari, sic utile recto.
Sceptrorum vis tota perit, si pendere justa
Incipit, evertitque arces respectus honesti.

Simile illud, in summa fortuna id æquius, quod validius, &
Rempubl. sine injuria administrari non posse. Accedit, quod,
quæ inter Populos aut Reges incidunt controversiæ, ferme
Martem habeant arbitrum. Hanc verò sententiam absurdam
planè atque naturæ contrariam, autoritatis sibi non nihil con-
ciliâsse haud adè mirum est, cùm ad morbum communem
humani generis, quo sicut vitia, ita vitiorum patrociniæ secta-
mur, accesserunt adulantium artes, quibus omnis potestas ob-
noxia est. Verùm contrà exstiterunt nullo non seculo Viri li-
beri, Sapientes, Religiosi, qui falsam hanc persuasionem ani-
mis simplicium evellerent; ceteros autem ejus defensores im-
pudentiæ convincerent, Deum esse monstrabant conditorem
& Rectorem Univerſi, imprimis verò humanæ naturæ Paren-
tem, quam ideo, non uti cætera animantia, in species diversas,
B 3 varia,



variaque discrimina segregasset, sed unius esse generis, unâ etiam appellatione voluisset contineri, dedisset insuper originem eandem, similem membrorum compagem, vultus inter se obversos, sermonem quoque & alia communicandi instrumenta, ut intelligerent omnes, naturalem inter se societatem esse atque cognationem. Huic verò à se fundatæ aut domui aut civitati summum illum Principem Patremfamilias suas quoque scripsisse leges, non in ære aut tabulis, sed in sensibus animisq; singulorum, ubi invitis etiam & aversantibus legendæ occurrerent. His legibus summos pariter atq; infimos teneri, in his non plus Regibus licere quàm plebi adversus decreta Decurionum, Decurionibus contra Præsidium edicta, Præsidiibus in Regum ipsorum sanctiones: Quin & ipsa populorum atque urbium singularum jura ex illo fonte dimanare, indeque sanctimoniam suam atque majestatem accipere. Grot. *de Mar. lib. in præfat. & de jur. B. & P. in præfat.* ubi præclare docet, inter illa, quæ sunt homini propria, esse appetitum societatis, id est, communitatis, non qualiscunque, sed tranquillæ & pro sui intellectus modo ordinatæ cum his, qui sui sunt generis, quam *ὁικείωσις* Stoici appellabant: Hominiq; perfectæ ætatis, cum circa similia similiter agere nôrit, cum societatis appetitu excellenti, cujus peculiare solus inter animantes instrumentum habet sermonem, inesse etiam facultatem sciendi agendique secundum generalia præcepta, cui quæ conveniunt, ea non quidem omnium animantium, sed humanæ naturæ esse congruentia, quam societatis custodiam humano intellectui convenientem esse fontem hujus naturalis, & quia homo non tantùm vim obtinet socialem, sed & judicium ad æstimanda ea, quæ delectant aut nocent, nõ præsentia tantùm, sed & futura, & quæ in utrumvis possunt ducere, pro humani intellectus modo etiam in his judicium rectè conformatum sequi, neq; metu neque voluptatis præsentis illecebrâ corrumpi, aut temerario rapi impetu, inconveniens esse humanæ naturæ, & quod tali judicio planè repugnat, etiam contra jus naturæ humanæ esse intelligi. Grot. *de I. B. & P. lib. I. c. I. n. 12.* & eleganter Cic. *I. off. 4.* *Natura, inquit, vi rationis hominem conciliat homini & ad orationis & ad vitæ societatem; qui & omnem justitiam, a deoq; & jus naturale ad communitatem, & societatem hominum in aureo officiorum opere*



opere sæpissimè refert. Nec alia fuit sententia Arist. qui in principio gravissimi operis *1. Pol. 1.* ita philosophatur, cujus sententiam in unam collectam his verbis exhibet Dn. Bœclerus in comentar. ad Grot. de *1. B. & Pac. in Prolegom. pag. 49.* *Homini natura inesse appetitum societatis, non ut aliis plerisque animantibus, sed excellentem, neque cujuscunque societatis, sed rationi, qua præcellit cæteris homo, convenientis: id est, benè compositæ, rebusque necessariis instructæ. Quia enim solus ex animantibus homo justum ab injusto, utile à noxio discernere, idque discrimen oratione explicare potest: igitur ad defectum mutue indigentia, quam natura machinata est, explendum; modumque societati naturaliter expetita, qua humana sit & verè sociabilis, non belluina & dissociabilis, imponendum, jure ac ordine opus esse animadvertit. Id quod in singulis societatis generibus, si à primis & minimis usque ad perfectissimas & maximas progrediamur, obtinere intelligitur. His positis facilis est responsio ad id, quod quidam objiciunt, verum quidem esse, homini per naturam, seu quatenus est homo, id est, statim atq; natus est, perpetuam solitudinem accidere molestam, infantes ad vivendum, adultos ad bene vivendum aliorum indigere ope, hominesque mutuos congressus naturâ cogente appetere; verùm civiles societates non esse meros congressus, sed fœdera, quibus ineundis fides & pacta necessaria sint, horû ab infantibus & indoctis vim, ab iis, qui sunt inexperti damnorû à defectu societatis ortorum, utilitatem ignorari. Qui igitur non intelligunt, quid sit societas, vel nesciunt, quid sibi profit civilis societas, illi sunt ad civilem societatem inepti: Atqui omnes homines, cum sint nati infantes, non intelligunt &c. Ergo omnes homines sunt inepti nati, & sic disciplinâ, non naturâ homo fit aptus ad societatem. Nam respondemus, sensum hujus propositionis: Homo naturâ est animal sociale; hunc esse: In homine est naturalis inclinatio cum naturali potentia recipiendi actualem aptitudinem civilis societatis exercendæ, licet ista actualis aptitudo non statim per nativitatem insit, sed per industriam demum sit introducenda. Statuimus itaque, hominem à natura destinari ad civilem societatem, eamque illi quàm maximè congruam esse atq; utilem, illumque tali præditum esse ingenio, ut per culturam possit*



possit recipere aptitudinem in illa societate rectè versandi. Et profectò, si consideremus, qua in conditione homines essent, si omni obligatione à natura ad colendam inter se societatem destituerentur, tunc futurum esset, ut quilibet sine injuria potuerit alteri auferre, quod ad conservationem sui ipsius facere videretur, quantum vires cujusque permisissent, & in quodlibet æquale jus cæteris habuerint, ex quo oriturum fuisset bellum omnium adversus omnes, quæ est ipsissima bestiarum vita. Sicut enim ex illo principio, quòd cum brutis animantibus homini nulla juris communio intercedat, (nisi forsan certi homines in bruta jus sibi præ aliis acquisivère,) cuilibet licet, quodlibet animal vel occidere, vel ad præstanda ministeria cogere citra injuriam bruto illatam, ita si nulla homini esset obligatio erga alterum, liceret homini, positâ naturali facultate alterum lædendi vel occidendi, quemcunque occidere, debilitare, aut alio modo constringere, si id securitati alicujus expedire & conducere videretur, cui in tali statu nullâ existente mutua obligatione nisi per vim prospicere non possit. Puffendorf *de element. jurispr. lib. 2. obs. 3.* Ex his, quæ suprà diximus, necessitas & utilitas juris Natural. sat facilis est intellectu, quæ exinde sole meridiano clarius evincitur, quod sine illius observantia totum genus humanû interire necessum esset. Si enim nec parva quidem Civitas aliqua, vel Respubl. sine legibus consistere non potest, quod memorabili latronum exemplo probat Arist. Et Chrysostomus *in cap. 4. ad Ephesios*: *Atqui sit ergo, dicet aliquis ut in pace vivant Latrones? Quando vero? dic quæso, cum non ut Latrones agunt. Nam si in dividendis rebus præscripta justitia non servent, neque partitionem ex æquo faciant videbis, & ipsos inter se bellis ac præliis implicari;* certè & illa, quæ genus humanum aut populos complures inter se colligat, jure indiget. Quomodo enim Universum hoc tot gentibus, moribus, linguis differens spretis justissimis his naturæ sanctionibus, quas Deus ipsi solas communes esse voluit incolumitatem suam tueretur? an, si inter Principes vel Reges, qui pari potestate pollent, & Deum tantum superiorem reverentur, controversiæ oriantur, eas ex conditis ab alterutro eorum legibus terminari videmus? Non negamus, nonnullos fuisse, qui aliquando



quando Civili gentis alicujus juri ob summam ejus æquitatem sese submiserunt, sed, cùm ea sit voluntatis quæstio, facile patet, quantum sit illi tribuendum. Non itaque statim ad arma recurrendum, quia hoc esset Deum negare, aut, quod eodem recidit, negare illum rerum humanarum curâ tangi. Cognationem quandam inter homines naturam seu potius naturæ legem constituisse, rectè judicat Florentinus. *in l. 3. ff. d. just. & jur.* Ad hanc igitur recurrendum, quoties quis se læsum esse putat, non verò statim ad arma. Quanquam enim Rex Universi supremam animadversionem, si populus in populum, Rex in Regem iniquè & violentè agat, sibi reservet tardam, occultam, inevitabilem, Grot. *ad c. 23. Matth. n. 23. pag. 392.* nihilominus duos à se Judices delegat, qui rebus humanis intersint, quos nocentium felicissimus non effugit, conscientiam cuique suam, *cordis illum secretarium* (cecu appositè eam vocat Gregor. M.) & famam sive existimationem alienam. Hæc tribuna illis patent, quibus alia sunt præclusa, ad hæc infirmi provocant, in his vincuntur, qui vincunt viribus, qui licentiæ modum non statuunt, qui vili putant constare, quod emitur humano sanguine, qui injurias injuriis defendunt, quorum manifesta facinora necesse est & consentiente bonorum judicio damnari, & sui ipsorum animi sententiâ non absolvi, uti eleganter loquitur Grot. *in Præfat. de Mar. lib. & in Comment. ad Evangelist. c. 23. pag. 392. τὸ μέτρον* ad §. 39. Sed ne Soli facem præferamus, sufficit, illos, qui de necessitate hujus juris dubitant, ad tot exempla conventionum, pactio- num, fœderum ductu ejus auspicioque inter Principes perfectorum deducere Vid. Grot. *de I. B. & P. lib. 2. cap. 15.* & dari jus aliquod naturale, etiam barbaras & efferas gentes agnovisse. Hinc Arist. gravissimè omnium *l. 1. Rhet. c. 13. Est enim quoddam, quod augurantur omnes naturâ commune justum & injustum, etiamsi nulla societas invicem sit, nullaque pactio, ut Sophoclis Antigone videtur dicere, justum esse interdictum sepelire Polynicem, quasi naturâ sit id justum. Non etenim id nunc & heri, sed semper fuit. Et nemo scit, unde ejus ortus sit. Et ut Empedocles dicit de non interficiendo, quod animatum est, id enim non quibusdam quidem justum est, quibusdam verò non justum, sed hoc quidem*



omnium legitimum perque latum aethera, omnibus in partibus ex-
 tensum est, perque ingentem splendorem. Cic. lib. 2. d. LL. Hanc
 video sapientissimorum hominum fuisse sententiam, legem neque
 hominum ingeniis excogitatum, neque scitum aliquod esse popu-
 rum, sed aeternum quoddam, quod universum mundum regeret
 imperandi prohibendique sapientiâ. Idem: Non erat alia lex
 Roma, alia Athenis, alia nunc, alia posthac, sed & omnes gentes &
 omni tempore una lex & sempiterna & immutabilis continebit,
 unusquoque erit communis quasi Magister & Imperator omnium
 Deus. & I. off. II. Primum est, quod cernitur in universi generis
 humani societate, ejus autem vinculum est ratio & oratio, qua do-
 cendo, discendo, communicando, disceptando, judicando conciliat
 inter se homines conjungitque naturali quadam societate. Hæc fu-
 it ex illis Autoribus exscriptum, ut tantò faciliori operâ o-
 mnes tenebræ, quæ in apprehendenda necessitate hujus juris
 naturalis mentem lectoris obfuscare poterant, dispellerentur.

VI. Nunc excutiamus argumenta, quibus contraria sen-
 tentia nititur, & videamus, quid iis responderi possit. Car-
 neades, qui ad id pervenerat, quod Academiae suæ summum er-
 rat, ut pro falso non minus, quàm pro vero vires eloquentiæ
 intendere posset, is, cum suscepisset hujus juris oppugnationem,
 nullum argumentum validius istò invenit: Jura sibi homines
 utilitate sanxisse omnia pro moribus, & apud eosdem pro tem-
 poribus sæpè mutata: Jus verò naturale esse nullum: omnes
 enim & homines & alias animantes ad suas utilitates naturâ du-
 cente ferri: proinde aut nullam esse justitiam, aut, si sit ali-
 qua, summam esse stultitiam, quia sibi noceat alienis commo-
 dis consulens. Verùm hoc argumentum nec punctum nec
 cæsim ferit nostram sententiam, & facilè illi occurri potest ex
 illis, quæ docet Grot. in prolegom. de I. B. & P. Quod enim di-
 citur naturâ quodque animal ad suas tantum utilitates ferri, ita
 universè sumptum concedi non debet. Nunnulla enim ani-
 mantia studium suarum utilitatum partim foetuum suorum, par-
 tim aliorum sibi congenerum respectu aliquatenus tempe-
 rant, quod ex principio aliquo extrinseco intelligente prove-
 nit, Div. Th. I. 2. q. I. art. 2. quod & de infantibus dicendum,
 in



in quibus ante omnem disciplinam ostendit se propensio quædam ad bene aliis faciendum, in homine perfectæ ætatis ratio, per affectus aut vitiosos habitus non corrupta, dicitur, par quidem esse, ut ipse se, quantum fieri potest, curet & conservet, quia verò à Creatore Deo ter-Optimo Maximo ad societatem cum aliis hominibus colendam destinatum sese animadvertit, necessum esse, ita curam sui ipsius temperare, ne societas inter homines turbetur. Puffendorf. *d. Element. Jurisprud. lib. 2. observat. 4. §. 5.* Ad quam conservandam recta ratio præcipit, ut à sociis non tantum injuriam repellamus; *Qui non repellit injuriam à socio cum potest, tam est in vitio, quam ille, qui facit;* ait Ambrosius *1. cap. 36.* Verum etiam ab amicis, quibus auxilium non quidem est promissum, sed amicitia quadam ratione debetur, Victor. *de ind. p. 2. n. 17.* Cajetan. *22. q. 4. art. 1. & hominum inter se conjunctio sola ad opem ferendam sufficit. Homo in adjutorium mutuum generatus est,* ait Sen. *d. Clem. 2. 5.* Ambrosius *d. Offic. lib. 1. c. 5. fortitudo, qua defendit infirmos, plena justitia est.* Plato *d. LL. IV.* puniendum censet, qui vim alteri illatam non arcet: Et Hebræi, Mose de Kotzi præcepto jubente 77. 80. vetante 164. 165. Grot. *d. I. B. lib. 1. c. 5. n. 2.* quod tamen ita temperandum, ut si manifestum sit periculum, nemo teneatur: potest enim suam vitam & res alienis præferre, quomodo Grot. *d. I. B. & P. lib. 2. c. 25. n. 7.* ita interpretandum censet illud Tullii, *qui non defendit, nec obsistit, si potest injuria, tam est in vitio, quam si parentes, aut Patriam, aut socios deserat.* Si loquamur de obligatione erga patriam, non dubitamus asserere, civem teneri maximæ multitudinis vitam suæ unius præferre. Cic. *de finib. 3. Vir bonus & sapiens, & legibus parens & Civilis officii non ignarus utilitati omnium plus quam unius alicujus aut suæ consulit.* Grot. *de fur. B & P. lib. 2. d. c. 25. n. 3.* Puffendorf. *d. Tract. lib. 2. obs. 4. §. 10.*

VII. Quamvis itaque non negemus, ex consensu omnium Philosophorum Ordinatam charitatem à se ipsa incipere, & unumquemq; mortalium, primario sui curam gerere, illos tamen, cum quibus vivit, prorsus negligere, nec ullam illorum habere rationem, rectæ rationi refragatur. Nemo enim propriæ salu-





tis rationem habere potest, nisi & aliorum saluti & commodis
 studeat. Arist. lib. 6. Eth. c. 9. errorem vulgi refellit, quo illi
 duntaxat prudētes creduntur, qui sua curant, sibiq; prospiciunt.
 Dominus Eichelius in tract. d. jur. quo natur. lib. & par n. 3.
 Illud majori confidentiâ nobis objici solet, de quo eleganter
 Arist. lib. 1. Nicom. c. 1. & lib. 5. c. 10. Quod non idem jus a-
 pud omnes obtineat, non idem æquum & bonum, sed quisque
 populus aliò & ferè suo jure utatur. Apud Persas & Macedones
 constitutum fuit adversus ingratos actio, cùm apud alios po-
 pulos malum hoc fuerit impunitum. Lacædemonii & Ægyptii
 furta permiserunt. Vid. Grot. de I. B. & P. lib. 3. c. 4. n. 2.
 Salm. d. usuris p. 366. Cæsar de German. Latrocinia nullam ha-
 bebunt infamiam, quæ extra fines cujusque Civitatis sunt. Hinc
 illa apud Homerum: an Prædones estis? amica interrogatio.
 Vid. Grot. d. I. B. lib. 2. c. 15. n. 5. Apud Persas matribus ac fi-
 liabus misceri jus fasque fuit. Possem sexcenta alia id genus ex-
 empla proferre, nisi id & odiosum esset & infinitum. Vid. Beat.
 Calixt. in Epitom. Theol. Moral. d. LL. pag. 56. & seq. Euseb.
 d. Prepar. Evang. lib. 1. c. 4. & lib. 4. c. 15. 16. 17. Seld. d. I. N.
 G. lib. 1. c. 6. Ex quibus effici posse videtur, totam istam justi
 atque injusti distinctionem nullam re ipsa esse, sed injusta &
 turpia ea tantummodò dici, quæ legibus aut moribus cujusque
 populi prohibentur: quæ prohibitio si tollatur, aut contrario
 hominum usu paulatim antiquetur, jam vel naturæ consensu
 justa fore & honesta. Et hæc opinio, non duntaxat disputa-
 tionis causâ in scholis Philosophorum agitata, habuit asserto-
 res suos plurimos eosque magnos viros & doctos imprimis, à
 quibus diu multumque seriò defensa est. Verùm enim verò
 fatemur quidem, bellè hæc ab iis dici, nequaquam verò ad pro-
 bandum id, quod volunt, conducere, sed necessum esse, ut vali-
 dioribus machinis invadant arcem nostræ sententiæ, vegetis
 rationibus probè munitam. Nam ut rectè notat Porphyrius:
*Quadam nationes efferatae sunt & facte inhumanae, ex quibus non
 oportet ab æquis iudicibus estimatione factâ natura convitium fie-
 ri.* Andronicus Rhodius: *Apud homines rectâ sanâque mente
 præditos immutabile est ius illud, natura quod dicitur.* Quod s
 his



his, qui morbo distortoque sunt animo, aliter videtur, nihil id ad rem pertinet. Nam nec mentitur, qui mel dulce esse dicit, ideò quod agrotis aliter videatur. Grot. d. I. B. lib. 1. c. 1. n. 12. Mens itaque hominis sæpe est occæcata erroribus, nec verum à falso potest discernere, sed in eo subindè fallitur, non tam rerum ipsarum incertitudine, quæ nulla est, quàm judicii imbecillitate & ignorantia, non tamen propterea putandum est mutari naturam. Quod si omnia removerentur, quæ obstant & impediunt, quò minùs suo quodque naturali munere perfectè fungi possit, nec nobis unquam falsa persuasio imponeret, nec depravatus sensus deciperet, & omnium esset de omnibus certum & idem judicium, jus æquè ab omnibus coleretur. Dari itaque jus aliquod naturale ex supra dictis liquidò patet.

VIII. Hoc jus naturale definivit Val. p. 1. q. 4. *Quod sit naturale rationis nostra judicium seu dictamen, quò per lumen nobis ab æterna lege impressum & inditum evidenter cognoscimus, ea esse faciendæ, quæ ita sunt recta & natura nostra consentaneæ, ut ea negligere sit deforme & natura repugnans, & contra, ea esse vitandæ, quæ facere turpe sit & natura rationali minimè congruum.* Arist. lib. 5. Eth. c. 7. illud describit: *jus naturale est, quod ubique gentium unam vim obtinet, nec ideò valet, ita vel decretum sit, vel non decretum.* Quæ definitio, etsi rem ipsam satis explicat, est tamen à posteriori, licèt Soto lib. 3. de just. q. 1. art. 2. dicat, ita jus naturale per causam formalem & Philosophico more definiri. Vid. Beat. Horn. *Philosoph. Moral. lib. 4. c. 3. n. 21.* Grot. d. I. B. & P. lib. 1. cap. 1. n. 10. delineavit jus naturale ajens: *Jus naturale est dictatum rectæ rationis, indicans ætæni alicui, ex ejus convenientia aut disconvenientia cum ipsa natura rationali, inesse moralem turpitudinem aut necessitatem moralem, ac consequenter ab auctore nature DEO talem actum aut vetari aut præcipi.* In qua definitione vir summæ eruditionis non omisit fundamentum convenientiæ & disconvenientiæ actuum cum natura rationali, nempe, socialem hominis naturam existimans, quod & in prolegomenis satis expresserat. Et d. cap. 1. §. 12. claris verbis plenius effert: *si ostendatur rei alicujus convenientia aut disconvenientia*



*necessaria cum natura rationali ac sociali, Dominus Bœclerus in Grot. lib. I. cap. I. §. 10. Dictamen rationis hîc dicitur, tum simplex illud & adianoëticum, quod principia per se manifesta & evidentia repræsentat, tum dianoëticum, quod est conclusio-
 sionum ex illis per necessariam consequentiam deductarum. Nuncupatur naturale, ad quod mens ductu luminis naturæ ab objecto ita est determinata, ut libera voluntas nihil conferat, quam prorsus antecedit. Verùm de recta ratione insignis difficultas hîc se offert, quod sapientissimi de rebus agendis vel fugiendis non idem statuunt, sicuti aliud Aristoteli, aliud Platoni de rerum communione visum est. Si itaque daretur recta ratio, illa esset una & eadem in omnibus imprimis in maximè sapientibus. Sed hic scrupulus facilè dilui potest: ratio enim saltem de iis agit, quæ per necessariam & evidentem consequentiam ex principiis practicis deduci possunt; cætera verò ad ejus materiam non pertinent, sed prudentum & sapientum opinionibus sunt exposita. Illæ itaque discrepantes opiniones non infringunt aut labefactant rectam rationem, quando sunt de iis, quæ ex indubitatis principiis rectæ rationis elici non possunt. Non negamus, quod in nonnullis viri etiam maximè sapientes à recta ratione aberrant, & multi ex præconcep-
 ptis opinionibus vel doctrina ita ducti aberraverint. Verùm horum error rectæ rationi non præjudicat: sicuti enim fieri potest, ut Jctus erret nonnunquam in quaestione juris; Medicus in cognitione aut curatione morbi: non tamen accuratè loquendo errat unquam ipsa Jurisprudencia, aut Jctus per Jurisprudenciam, vel Medicina aut Medicus per medicinam: habitum enim illum, qui docet cognoscere jus aut morbum, errare in jure aut in morbo cognoscendo, contradictio est. Hinc S. Augustinus lib. 2. soliloq. cap. 11. disciplina, ait, nisi vera doceat, disciplina esse non potest. Et Johann. Damascenus Dialect. cap. 1. Cognitionem voco, veram earum rerum, quæ sunt, apprehensionem: nam falsa cognitio, quæ non-entia, cœu sunt, apprehendit, ignoratio potius est, quàm cognitio. Est igitur evidens contradictio, ex veris principiis rationis rectè concludi, nec non rectà ratione aliquid statui, & tamen falsum esse*



esse: perinde enim hoc est, ac si quis statuat, veritati congruere, & rectè adseri, nec tamen verum esse. Licèt itaque intellectus & ratio nostra sæpè fallatur, quia perperam ex principiis naturalibus infert, ipsum tamen lumen naturæ & recta ratio fallere non potest. Ex recta ratione, ut ait Arist. *lib. 2. M. M. cap. 10.* agere est, *cùm anima pars irrationalis non prohibet rationalem suam exercere opus.* Vide Excellentissimum D. Musæum in *Institut. Metaphys. c. 36. §. 16.* Notandum hïc ex Arist. *lib. 1. Ethic. c. ult.* quòd sint in homine duæ partes animæ, rationalis una, altera irrationalis. Animæ rationalis duæ sunt præcipuæ facultates, nempe Intellectus & Voluntas. Intellectus adæquatum objectum non est Verum, ut plerique contendunt, sed Ens, quatenus intelligibile: est enim naturâ prius, intelligere Ens, ut ens, quàm Verum, quia verum est passio seu proprietas quædam Entis; Omnis verò proprietas, ut est naturâ posterior, sic naturâ posteriùs intelligitur, quàm id, cuius est proprietas. Deinde Ens intelligibile latius patet, quàm Ens Verum, cùm etiam Ens falsum suo modo sit intelligibile. Et certè Ens, prout abstrahitur à vero & falso, intelligibile est. Suarez in *1. part. Div. Thom. part. 2. tract. 3. lib. 4. cap. 1.*

IX Maneat itaque, Ens intelligibile esse objectum adæquatum intellectus. Circa quod monendū, in illo subjecto duo considerari, unum veluti materiale, quod est Ens, alterū veluti formale, quod dicitur intelligibile, ita ut intelligibilitas sit ratio formalis, quatenus dicitur objectum adæquatum intellectus. Quod non debet accipi, quasi necessum sit, quotiescunque concipimus Ens, nos concipere intelligibilitatem, sed quod Ens ideo intellectu concipiatur, quia est intelligibile. Sicut color ideo visu percipitur, quia est visibilis, licèt visibilitas ipsa non cadat sub visum. In quo differt intellectus à sensu, quòd intellectus, cùm libuerit, ipsam formalem rationem sui objecti, nempe intelligibilitatem percipere possit, quia ipsa est aliquid intelligibile, quod non potest præstare sensus: Visibilitas enim non est quid visibile. Intellectus ductu luminis naturæ de rebus agendis & fugiendis rectè iudicat, nisi à facultate

tate



tate inferiore impediatur, quod impedimentum non fit à voluntate, quia hæc per se intellectus judicium sequi nata est, sed ab appetitu sensitivo, qui quidem subest imperio rationis, cum ipsius effrenatos motus possimus pro arbitrio incitare vel coercere, juxta illud *Gen. 4. v. 7. Sub te erit appetitus ejus & tu dominaberis illi*; sæpe verò vehementi impetu in bonum aliquod sensibile fertur appetitus reclamante judicio rationis, & præter voluntatis inclinationem, quod significat Apostolus *Rom. 7. v. 9. Non, quod volo bonum, hoc ago, sed, quod odi malum, hoc facio*. Sic Medea apud Ovidium: *Video meliora proboque; Deteriora sequor*: quod eo evenit, ut probat Grotius ad Epist. Jacob. cap. 2. v. 14. *quod voluntas in facultates ministras, imò & in ipsum intellectum ex parte aliqua, nempe ut hoc vel illud consideret, atque in id se intendat, agit dominatus jure & obtemperari sibi omnino facit. At intellectus, ut in libera Republica oratores, persuasionibus agit in voluntatem, neque semper impetrat obsequium, ob eam libertatem quæ agnata & propria est voluntati*. Quod si appetitus intra debitos cancellos se contineat, nec judicium rationis perturbet, recta ratio ex principiis innatis rectè judicat de iis, quæ sunt agenda, quæ fugienda. Sicut objectum sensus dupliciter considerari potest: Vel sub ratione comuni, ut album quatenus coloratum: sonus acutus, quatenus sonus: sapor dulcis, quatenus sapor; Vel sub ratione speciali, ut color albus, quatenus albus &c. Circa sensibile proprium priori modo spectatum sensus nunquam errat; quia nequit facultas extra proprii objecti metas excurrere, indeque visus non potest percipere, nisi visibile, auditus non nisi sonum percipere, & ita de cæteris sentiendum Circa sensibile verò proprium posteriori modo spectatum nonnunquam sensus errat, qui error plerumque oritur ex defectu alicujus harum trium conditionum, quæ requiruntur, ut objectum tale percipiatur, quale est, & sunt hæ tres præcipuæ conditiones, nempe debita objecti distantia, idonea organi dispositio, denique medium rectè dispositum. Sic ratione distantie indubitæ, quæ sunt fusca, apparent nigra; ratione læsi organi iis, qui suffusione oculorum laborant, omnia cruenta apparent; ratione medii, qui per vitrum coloratum intuentur, omnia veluti eodem



eodem colore affecta conspiciuntur. Quando itaque debita est objecti distantia, idonea organi dispositio & medium rectè dispositum, sensus circa objectum etiam sub ratione speciali consideratum non errat. Suarez in part. prim. Div. Thom. part. 2. tract. 3. lib. 3. c. 10. Ita etiam intellectus rectè concludit & judicat, quando appetitus est bene dispositus, quod exprimit eleganter Seldenus in præclaro suo opere d. jur. Nat. & Gen. juxt. disciplin. Ebraor. lib. 1. c. 9. pag. 110. quod honestâ æmulatione Grotiani operis compositum ipsa referat Philosophiæ penetralia, & profundam omnino eruditionem continet: Similitudini, ait, quidem hanc radiorum solarium & visus in re intelligendi, tiam ubi intellectus agens ipsius anime pars esse admittitur, in scholis crebrò adhibitam nemo nescit. At verò Ebraorum mihi heic sensus est ejusmodi; Sive Numen ipsum, sive Intelligentiam, quam vocant Postremam, ut ministrum Numinis non aliter ritè intelligendi actum menti humana semper prestare quam solem seu corpus lucidum oculo videndi actum. Atque ut in lumine claro & quemadmodum oportet incidente, oculo nullo modo se malè habenti nec incommodè posito objecta rectè satis internoscuntur, quod non fit in tenebris, aut obscuro lumine, aut oculo agro, aut malè sive se habente sive collocato, ita etiam menti seu intellectui humano non depravato ac diligentius intruenti Intellectus Agentis ope illuminante insperata illa, qua ex Natura parentis instituto sunt observanda uti & cetera etiam intellectus objecta (tam scilicet vera ac falsa quam bona & mala) indicari; Depravatam autem mentem, etiam & intellectum humanum qualemcunque citra ejusmodi opem, in Imperatis illis ceterisque ritè discernendis, planè hallucinari. Nimirum ut oculo à sole seu ex radiis solaribus in Horologio aliter ve hora ad accuratissimè demonstrantur, ita velut in appensa ob intellectum Humanum perpetuò tabula seu libro expenso indicari, ei ritè disposito (ex intellectu, qualem diximus, Agentis subsidio, quo phantasmata ritè intelligibilia fiant) Præcepta illa seu jura naturalia, ut perpetuò obligantia, quemadmodum etiam cetera, qua humano arbitrio permessa. Neque verò Principia Generalia tantum, qualia sunt, Bonum amplexandum, malum fugiendum, honestè vivendum, sed & conclusiones & propositiones, quibus



bus quam particularius bona, quam mala ex natura sui, id est, naturæ parentis placito ac imperio, habenda fuerint, hoc modo hominibus primis seculisque sequentibus, juxta jam dicta, indicari atque imperari asserunt.

X. Illud hinc addendum, omne quod cognoscitur tam à Theoretico intellectu quàm à Practico (ita enim ratione finis distingui solet Arist. 3. d. anim. cap. 9. text. 49. eleganter Suarez in 1. part. Div. Thom. 2. part. tract. 3. lib. 4. cap. 9.) illud esse in duplici differentia: Vel enim sunt principia, vel conclusiones. Principia dicuntur omnes propositiones per se notæ, seu quarum veritatem homo ex ipsorum terminorum perceptione intelligit, uti sunt ex Theoreticis: Impossibile est, idem esse & non esse. Arist. lib. II. Metaph. cap. 4. & lib. 4. Met. t. 27. & 1. Poster. t. 82. Quodlibet est, vel non est. Vel: De quolibet affirmatio vel negatio vera est. Arist. 1. post. t. 83. III. Met. t. 3. & IV. Met. 27. Fonseca 4. Met. c. 3. q. un. s. 2. Stahl in Regnl. Philos. part. 1. disp. 1. reg. 1. 2. Essentiæ rerum sunt æternæ. Suarez disp. Met. 31. sect. 2. & seqq. Mendoza disp. Met. 8. sect. 1. ubi ait, essentias rebus convenire necessario, quia Deus volens producere hominem, non potest producere essentiam lapidis, quæ non faciat hominem, sed lapidem. Ex quo hoc conclusarium elici potest, necessitatē illam, (quæ dicimus, essentiam rei cum ea coherere, ita ut nec ipsa ab ea avelli nec alterius rei essentia ipsius essentia esse possit,) tantam esse, ut ne à Deo mutari possit, quia implicat contradictionem, esse hominem, & non obtinere hominis essentiam. Inter principia cognitionis omnium primum est: Impossibile est, idem simul esse & non esse. Est enim primum principium demonstrationis deducentis ad impossibile; Ergo est primum principium simpliciter. Ratio rationis hæc est, quia demonstratio per impossibile est prior demonstratione ostensiva, imò est demonstratio simpliciter & universalissima. Ex quo hoc conclusarium concludi potest, quod primum principium demonstrationis per impossibile sit prius principio demonstrationis ostensivæ, imò sit primum simpliciter. Vid. B. Horneus lib. d. process. disputand. cap. 5. Mendoza disput. Metaph. 3. sect. 3. §. 17.

Demon-



Demonstratio itaque est duplex, una est ostensiva, altera deducens ad impossibile seu absurdum. Illa & quidem à priori est, in qua à causa proxima progredimur ad effectum seu proprietatem de subiecto demonstrandam, & per se & directò ad scientiam requiritur. Hæc est, per quam probatur, ideò aliquid esse verum, quia aliàs sequeretur aliquod impossibile seu absurdum, nec est per se necessaria ad scientiam. Si itaque principia immediata, i. e. quæ medio à priori carent, quis in dubium vocet, vel ob ignorantiam, vel alium aliquem defectum, & inde sequatur aliquod impossibile vel absurdum, ad illorum veritatem demonstrandam hoc genere demonstrationis opus est, ut si homo non esset animal rationale, sequeretur, hominem non esse hominem. Essentia enim hominis consistit in natura animalis rationalis, per quam absurditatem defenditur certitudo propositionis: *Homo est animal rationale*. Ex Practicis verò hæc: Deum esse honorandum, colendum, eiq; obtemperandum. Itaque Arist. *Top.* 1. eum, qui Deum honorandum aut parentes amandos neges, non argumentis, sed pœnâ edomandum esse ait, & *Topic.* 2. 4. alia quædam honesta esse Deum honore prosequi. ubiq; Grot. *d. I. B. l. 2. cap. 20. n. 45.* *Religionis summa est*, Augustino teste *de Civitat. Dei* 8. c. 17. *imitari quem velis*. Beatus Calixtus *in appar. in stud. sacros. Theolog. pag. 68. & seqq.* *Honestè vivendum; Suum cuique tribuendum; Quod tibi fieri non voles, nec alteri faciendum.* Eleganter Grot. *d. I. B. d. c. 20. n. 43.* distinguit, quando ita loquitur: *Tertia, ut diligenter distinguamus inter principia generalia, quale est: honestè vivendum, i. e. secundum rationem, & quædam his proxima, sed ita manifesta, ut dubitationem non admittant, quale est: alteri suum non rapiendum, & inter illationes, quarum alie facilem habent cognitionem, ut posito matrimonio non admittendum adulterium, alie verò difficiliorem, ut ultionem, quæ in dolore alterius acquiescit, esse vitiosam.* Fere hîc idem evenit, quod in Mathematicis, ubi quædam sunt notitia prima, aut primis proxima quædam demonstrationes, quæ statim & intelliguntur & ad sensum obtinent, quædam vera quidem, sed non omnibus patentes. Sicut ergo circa lege

D 2

civiles



civiles eos excusamus, qui legum notitiam & intellectum non habuerunt, ita & circa natura leges par est eos excusari quibus aut ratiocinationis imbecillitas aut prava educatio obstant. Nam ignorantia legis sicut inevitabilis sistit, tollit peccatum, ita etiam cum aliqua negligentia conjuncta delictum minuit. Atq; ideo Aristoteles barbaros, qui prave educati circa talia delinquant, vis comparat, qui morbo corruptos habent appetitus. Plutarchus ait, esse quadam νοσήματα καὶ πάλιν τῆς ψυχῆς τὰ κατὰ φύσιν ἐξίσταται τὸν εὐφρατον: morbos animi, qui hominem de naturali statu dejiciant. Vid. Suarez d. LL. lib. 2. c. 7. Div. Thom. 1. 2. q. 94. art. plura vide sis & in 5. Ethic. t. 12. Adde Scot. in sentent. 3. distinct. 37. Horn. in Philos. Moral. lib. 4. c. 2. n. 6. Hæc & alia vocantur principia: ex illis enim & similibus omnis cognitio nostra, quæ per intellectum paratur, primò originem suam ducit. Dicuntur illa naturâ nota, quia sine præceptore ac disciplina homines illa cognoscunt, vel quia ista quisque nostrum ita novit, eo quòd animis nostris naturæ autor illorum notitiam quasi inseverit. Quod non ita accipiendum, quasi statim cum in lucem edimur, illa principia actu cognoscamus, quod fieri non potest. Nostrum enim intellectum, cum primò nascimur, tabulæ rasæ similem esse, in qua scriptum nihil est, etsi inscribi quidvis potest, ex Aristotele 3. d. anim. cap. 4. r. 15. adferri solet, vid. Grot. ad Evangelist. Marc. cap. 10. pag. 572. & quia ante usum rationis mens hominis nullas propositiones imò nec simplices earum terminos apprehendit, fieri non potest, ut veritatem illarum propositionum cognoscat. Sic quia infans non novit, qui dicantur parentes, quid sit honorare aliquem, nec propositionem hanc: Parentes sunt honorandi; intelligit. Quando itaque statuimus, principia esse naturâ nota, illud ita intelligimus, quòd sine præceptore & aliquo labore veritatem illorum cognoscamus, quod in principiis illis statim fit, quamprimùm ratio in homine sese exerit, & simpliciter terminos ope sensuum apprehendere incipit. Cujus itaq; propositionis veritas statim cognoscitur, cum menti objicitur & e. cujus termini simplices apprehenduntur & componuntur, illa propositio est naturâ nota. Horn. Philos. Moral. l. 2. c. 2. n. 3.

Horuna



Horum principiorum datur aliquis habitus, quem Aristoteles destitutus aliâ voce, nomine Intelligentiæ insignivit, & *v̄ḡv* seu mentem nuncupavit 6. *Ethic. c. 6.* Suarez in *Metaph. tom. 1. disp. 1. sect. 4. n. 15.* Div. Thom. 1. 2. q. 51. art. 1. Abulensis *super cap. 23. Exod. q. 97.* Licet enim naturâ sint nota, accedente tamen aliquo exercitio, promptius illorum veritatem percipimus, quàm per solam potentiam naturalem & lumen intellectus congenitum, Suarez. in *Metaphys. tom. 1. disp. 1. sect. 4. n. 15.* Cajetanus l. 2. q. 150. art. 1. Div. Thom. lib. 2. q. 51. art. 1. Hornejus in *Philosoph. Moral. lib. 4. cap. 2. num. 5. & lib. 4. cap. 1. n. 9.*

XI. Ex cognitis hisce principiis practicis, sive omnium primis, sive conclusionibus inde deductis, formatur per prudentiam dictamen practicum, actionem aliquam singularem his vel illis circumstantiis determinatam præcipiens vel prohibens, suadens vel dissuadens, quod est dictamen practice practicum, quod Conscientiam appellamus, & antecedit actiones. Aliud est, quod actiones sequitur, & suppositâ earum recordatione dictitat, illas esse vel rectè vel perperam factas. Bernhard. *medit. de vot. c. 13.* ait: *Peccata mea celare non possum, quoniam quocunque vado, conscientia mea mecum est secum portans, quod in ea posui, sive bonum sive malum, servat vivo, restituet defuncto depositum, quod servandum accepit.* Differentiæ causâ vocare possumus hanc Conscientiam consequentem, eò quòd facta hominum sequatur, & sub examen eadem revocet; alteram verò antecedentem, quæ antecedit facta, dictitans, quid bonum, quid malum & ideò agendum vel omittendum sit. Francisc. Suarez in *Prim. Secund. D. Thom. tractat. 3. disputat. 12. sect. 1. 2.* Quemadmodum itaque bona conscientia de opere benè facto testimonium perhibet, famæ mendacia ridet, adversus sinistra judicia solatium præbet, & ab injustis accusationibus absolvit: ita è contrario mala conscientia de opere malè facto testatur, accusat, reprehendit, terret, condemnat. Est verò conscientia conveniens principium actionum, quatenus est veluti præco quidam legis naturæ, i. e. homini proponit & suggerit, quid illi conveniens vel disconveniens sit, quid fieri, quid omitti debeat. Ab hac igitur



tanquam proximo principio dependent, & ad eam, veluti regulam, exiguntur omnes actus, ita ut malè agat, qui non facit id, quod conscientia præcipit, vel contrarium facit. Thom. 1. 2. q. 19. art. 3. 4. ibique Vasquez *disp. 58. cap. 2.* Cæterum quotuplex est iudiciū intellectūs de actione aliqua vel omittenda, vel facienda, totuplex est conscientia: Illud verò iudiciū est vel rectum, vel probabile, vel erroneum: hinc etiam conscientia tantum est triplex: Recta, Probabilis & Erronea. Sed cum dubitatio intellectūs impropriè interdum dicatur intellectus, etiam conscientia aliqua dubia nō absurdè statuitur, Gregor. de Valent. *tom. 2. disp. 2. q. 14. p. 4.* Vasq. *disp. 59. cap. 1. n. 5.* Conscientia recta, quæ aliquid præcipit vel prohibet, omnino obligat. Dico signanter: *vel præcipit, vel prohibet;* Si enim saltim aliquid tanquam melius bonū suadeat, vel aliquid omittendū dissuadeat, nihil præcisè determinat. Probabilis conscientia nititur opinione deducta ex rationibus, quæ non evidentè infallibiles sed tantum probabiles putantur, & illa, uti recta, est sequenda rejectâ improbabili, sive sententiâ, quam apparet subsistere non posse. Samuel Puffendorf. *in Element. jurispr. l. 2. c. 1. §. 6.* Duo verò requiruntur ad sententiam probabilem sive opinionē, Unum ut intellectus rei ad sensum præbeat, & ad unam contradictionis partem inclinet & quidem ob certas probabiles rationes; alterum, ut intellectus ab objecto non sufficienter moveatur, sed ad sensus ille sit permixtus cum formidine oppositi, quæ formido determinatum ad sensum non excludit, sed eò tendit, ut quis statuatur, rationes illius partis, cui adsentitur, non esse certas & evidentes, sed tantum probabiles, sicque fieri posse, ut contraria sententia sit vera, quod tamen rationes illius evidentè nō probent, ut explicat Dn. Hornejus *in Phil. Moral. lib. 3. c. 4. n. 6.* Balduin. *de cas. conscient. lib. 1. cap. 9.* B. Calixtus *Epist. Theol. Moral. d. princip. hum. action. pag. 27.* Erronea conscientia non minus obligat, quàm recta. Est enim dictamen intellectūs practicum proxima regula & normā, cui conformari voluntatem & actiones oportet. Illud itaque tenendum est, etiam si quid justum re ipsa est, si fiat ab eo, qui omnibus expensis injustum id existimat, actum



actum esse vitiosum. Hoc enim est, quod dicit Apost. *Roman. XIV, 24.* Quicquid non fit ex fide, peccatum esse. Quo in loco fides animi iudicium de re significat: nam vim judicatricem humanis actionibus ducem Deus addidit, quâ contemptâ obbrutescit animus. Grot *d. I. B. lib. 2. c. 23. n. 2.* Suarez. *in prim. secund. Div. Thom. d. disput 12. sect. 4.* Error verò est vel Vincibilis vel invincibilis, & de re intrinsecè bona vel turpi, vel adiphora & indifferenti. Errantis ea conditio, si agatur de actione naturâ suâ bona vel mala, ut peccet, tam qui juxta eam, quàm qui contra illam agit. Peccat, qui juxta illam agit, quia cum agens possit errorem deponere, non vult, indeque error vincibilis à peccato non excusat; nec non & ille peccat, qui contra illam agit: Qui enim, quantum in se est, vult agere contra legem naturæ, ille peccat: At qui contra conscientiam errantem agit, is, quantum in se est, agere vult contra legem naturæ: Ergo. Hornejus *d. c. 4. n. 5.* Thom. *I. 2. q. 19. art. 5.* Ex quibus concludi potest, quòd posito errore, vel ignorantia, quamdiu illa hypothesis erroris vel ignorantia durat, homo non possit non peccare: Est itaque opera danda, ut error ille eximatur. Aliter verò est statuendum, quando est error invincibilis, aut de re per se indifferenti, tunc delinquit, qui contra conscientiam agit, non verò, qui juxta illam. B. Calixtus *d. tract. pag. 28. 29.* Puffendorf. *in Element. jurisprud. lib. 2. observat. 1. § 7.* Dubia conscientia vocatur, cum quis dubitat, utri parti contradictionis assentiendum sit: sæpè enim accidit, ut iudicium nihil certi monstret, sed hæsitet, quæ hæsitatio, si attentâ consideratione expediri nequeat, sequendum erit illud Ciceronis *d. offic. lib. 1. Benè precipiunt, qui vetant quicquam agere, quod dubites æquum sit an iniquum.* quod & sacræ pandectæ docent *Rom. XIV. 5. & 22.* Puffendorf. *d. obs. 1. §. 8.* Distinguunt vulgò interdubitationem Theoreticam & Practicam, & statuunt, cum, qui contemplativè dubitat, posse activo iudicio non dubitare. Et fanè, quin hæc distinctio iudicii duplicis in multis actionibus locum habeat, negari non potest; verùm non est tantum discrimen, ut iudicio speculativo existente incerto practicum certum



certum esse possit, cum perpetuò unum alteri respondeat. Hornejus *d. c. 4. n. 8.* Calixtus *d. tract. pag. 31. 32.* Ex quo fundamento Grotius *d. I. B. lib. 2. c. 26. n. 4.* concludit, omninò sequendam esse opinionem Adriani *Quaest. quodl. 2.* agentis, quando subditi dubitant, an justa sit causa belli, & illis impere- tur, ut militent, à bello esse abstinendum, si subditus non modò dubitet, sed argumentis probabilibus inductus magis inid pro- pendeat, ut bellum injustum esse putet, præcipuè verò, si de aliis impetendis, non de suis tuendis agatur, quin probabile esse, etiam carnifici, qui damnatum occisurus est, hætenus aut quod quaestioni & actis interfuerit, aut ex rei confessione cognita esse debere causæ merita, ut satis ei constet mortem ab eo commeri- tam, idq; nonnullis locis observari, nec aliud spectare legem He- bræam *Deut. XVII. 5. 6.* cum ad lapidandum eum, qui damna- tus est, testes præire vult populo. Sed quid? ponamus talem ca- sum, ubi non obstante dubiâ conscientiâ alterutrum alicui om- nino est faciendum, & de utroque an æquum sit, dubitatur? Respondemus, tunc licere ei eligere quod minus iniquum ei videtur. Ubi enim electio evadi non potest, semper minus malum rationem induit boni, Arist. *Nicom. 2. c. 9.* Cicero *Offic. 3. de malis minima.* Grot. *d. j. B. lib. 2. c. 23. n. 2.* Cum hac conscientia dubia cognitionem habet, quam vocant Conscientiam scrupulosam, quando anxia formido judiciû in- tellectûs comitatur, ne fortè illud objectum sit malum, quod bonum quis existimaverit. Si scrupulus probabilibus rationi- bus nitatur, actiõ erit suspendenda, donec eximatur, qui ve- rò ex molli superstitione oritur, est negligendus, animoque ejiciendus. Verissimum est, quod scripsit Aristoteles *1. Ethic. Nic. 1.* in moralibus non æquè ut in Mathematicis disciplinis, certitudinem inveniri, quia Mathematicæ disciplinæ à materiâ omni formas separant, & quia formæ ipsæ tales sunt plerumq; ut nihil habeant interjectum: sic inter rectum & curvum nihil est mediû. In moralibus verò minimæ etiâ circumstantiæ mate- riam variant, & formæ, de quibus agitur, solet habere interje- ctû aliquod eâ latitudine, ut modò ad hoc, modò ad illud extre- mû propiùs accedatur, sic inter id, quod fieri oportet & inter id quod nefas est, mediû est, quod licet, sed modò huic, modò illi parti

parti propinquius. Grot. d. I. B. lib. 1. c. 2. n. 1. & tract. d. sa-
 tisfact. Christ. pag. 53. Unde ambiguitas sæpe oritur, ut in
 crepusculo aut in aqua frigida calefcente. Et hoc est, quod
 ait Arist. 3. Nic. Quid cui anteponendum sit, difficilis sæpe est ju-
 dicatio. Vid. Grot. d. I. B. lib. 2. c. 23. n. 1.

XII. Jus naturale definit Justin. in pr. d. 7. N. & G. &
 l. 1. ff. d. 7. & 7. quod natura omnia animalia docuit. Nam jus
 istud non humani generis est proprium, sed omnium animalium,
 quæ in terra, quæ in mari nascuntur. Hinc descendit maris & fœmi-
 næ conjunctio, quam nos matrimonium appellamus. Hinc liberorū
 procreatio, hinc educatio. Videmus enim cetera quoque animalia
 istius juris peritia (seu ut nonnullis legitur, perita) censerī.
 Verū Justin. improprie est locutus. Quæ enim non ha-
 bent intellectum, nec liberam agendi facultatem, illa nec ju-
 ste nec injuste agere possunt: Atqui bruta animantia non ha-
 bent intellectum, nec liberam agendi facultatem, sed sola crea-
 tura rationalis utraq; potentiā est prædita: Ergo bruta ani-
 malia non possunt dici proprie juste vel injuste agere, sed crea-
 turæ rationalis actiones proprie sunt justæ vel injustæ; & qui-
 dem principaliter actiones voluntatis, secundariò verò actio-
 nes animæ sensitivæ, quatenus sunt aptæ natæ imperio ratio-
 nis subesse, illæ verò actiones, quæ sequuntur gradum animæ
 vegetativæ & cum plantis sunt communes, nullo modo sunt
 participes rationis, & consequenter nec in genere morum ju-
 stæ vel injustæ. B. Calixt. in Epitom. Theol. Moral. pag. 48. In
 equis, in leonibus justitiam non dicimus, ait Cicero l. d. offic. nec
 juris proprie capacem esse, nisi naturam præceptis utentem ge-
 neralibus, docet Grot. d. I. B. lib. 1. cap. 1. n. 11. ibique Bœcle-
 rus in comment. Vid. Claud. Salmas. in tract. de usur. cap. 9.
 pag. 240. & seqq. Et fusius etiam probavit Johann. Sel-
 denus d. I. N. & G. lib. 1. c. 4. 5. nec Hebræos jus aliquod ho-
 minum ac brutorum commune agnovisse, & quæ pro jure
 brutis communi afferri soleant, partim nō repugnare veræ sen-
 tentiæ, partim meritò esse repudianda: tum denique jure con-
 sultos Cæsareos plurimos, viros gravissimos celeberrimosque

E

ab illis



ab Ulpiniana juris naturalis definitione sibi recedendum jure existimasse. Quod si itaque brutis animantibus justitia tribuitur, id fit improprie ex quadam in ipsis umbra rationis & vestigio. Est locus Philonis egregius ad decalogi præceptum quartum, quem Latinè posuit Grot. d. I. B. in prolegom. ad verb. Aliquatenus temperant in not. ibi: Imitatores saltem mutorum animantium estote homines. Beneficio vicem rependere illa edocta morunt. Canes domus defensores sunt: quin & pro heris moriuntur: si quod subito periculum eos contigerit. Dicuntur & canum illi, qui greges comitantur, præcedere pecora, depugnantes ad mortem usq., ut pastores illos prestent. Nonne inter foeda foedissimum est, in referenda gratia. vinci hominem à cane, mitissimum animal à ferocissimo? quod si à terrestribus non satis edocemur, transeamus ad naturam volucrem, aëris viatricem, ut vel inde discamus, quod oportet. Ciconiarum senes in nidis manent, volare invalida. Harum soboles per omnes, propè sic dixerim, terras mariaque volitant, victum undique parentibus querentes. Ille pro atatis merito fruuntur quiete, rerum copiâ, deliciis etiam. Hoc verò itineris molestias solantur pietatis conscientia & expectatione parvis olim, ubi senuerint, à sua prole, atque ita legitimo tempore debitum persolvunt necessarium, quod accepere reddentes. Neque enim ab aliis alimenta habere possunt, aut initio vite parva cum sunt, aut natu grandes in vita exitu, quapropter non alio quam natura magistro didicerunt educare vetulas, educata & ipsa eum tenera essent. Nonne verò, hæc ubi audiunt, habent cur se præ pudore abscondant, qui parentum curam non habent, atque eos negligunt, quos aut solos aut præ cæteris sublevare debuerant, præsertim cum id facientes non tam daturi sint quippiam, quam id, quod debent reddituri? Nihil enim est liberis proprium, quod non parentum sit prius, qui aut de suo dederunt, aut acquirendi præbuerunt causas. Et Alvernus, Parisiensis Episcopus, de belluarum justitia & juribus: diligentem, inquit part. I. d. universo part. 3. cap. 8. considerationem faciens per singula, invenies nihil vacare à Creatoris justitia: quando & ipsas belluas & penè omnia genera animalium invenies quandam exercere justitiam & jura sua defendere. Attende qualiter ursæ rapinam, vel necem

catulo-



oculorum suorum vindicet. Similiter & leo, qualiter pro uxori-
bus, pro nidis, pro escis & pro pullis seu foetibus suis pugnet:
quantâ justitiâ labores suos masculi & foemina invicem patiantur,
ut foeminâ remanente in nido vel spelunca, masculus ad perquiren-
dum cibum atque reportandum foemina sua & foetibus egrediatur
& regrediatur: Tempore etiam meo Ciconia, tanquam de adul-
terio convicta per olfactum masculi sui, congregatâ multitudine
ciconiarum, nescio qualiter accusante masculo vel detegente ejus
crimen, à tota illa multitudine deplumata atque dilacerata est;
tanquam concilio aut judicio omnium esset adulterii judicata.
Narratur de equo, qui ignoranter cum matre sua concubuerat,
postquam hoc deprehendit, propriis dentibus sibi genitalia absci-
disse tanquam in se ipsum vindicans incestum, quem commississe sibi
videbatur, licet ignorans eò quod operimento abscondita fuisset eò
mater ejus dum eam ascendebat. Selden. d. I. N. & G. juxta di-
sciplin. Hebraeor. pag. 62. Vid. Hieronymus Rorarius in eruditò
opusculo: quòd animalia bruta melius homine ratione utantur.
Idem dicendum de infantibus ratione & libertate arbitrii de-
stitutis. Licet enim habitu principiorum practicorum ex
parte sint imbuti, non tamen ipsa hujus juris ratio actu secun-
do illis est indita. Fallunt itaque & falluntur, qui actiones in-
fantum præmium verè & pœnam mereri contendunt, & infan-
tibus liberam potestatem agendi tribuunt. Franc. Vict. Relect.
13. part. 1. Est enim insigne discrimen inter illud, quod est ca-
pax justî & injusti, & illud, quod actu ejus est particeps. Re-
ctius Philosophi illorum actiones nec juris nec injuriæ volunt
esse capaces. Hinc jure naturali dominia rerum accipere non
possunt, quamvis jus gentium ob communem utilitatem intro-
duxerit, ut dominia rerum accipere possint, quod tamen do-
minium jure gentium introductum stat intra actum primum,
nec ad actum secundum, sive ad ejus exercitium se extendit.
Grot. d. I. B. lib. 1. c. 3. n. 24. lib. 2. c. 3. n. 6. & c. 5. n. 2. c. 22. n. 10. Vi-
ctor. relect. d. Indis. n. 21. 22. Becanus d. 7. & 7. cap. 3. q. 2.
Lessius d. I. & I. lib. 2. 4. dub. 2. Ludov. Molin. d. I. & I. tract.
2. disp. 18. n. 3. Eâdem ratione ad hanc classem referuntur il-
li, qui destituuntur à mentis integritate. Hi enim quoad di-



Etamen & usum rectæ rationis idem cum brutis animantibus
 discrimen subeunt, nec propriè ab illis fieri potest, quod præ-
 mio & pœnâ propriè dignum est. Vid. Grot. d. I. B. & P. lib. 2. c.
 22. n. 10. Verùm non desunt, quibus ad palatum non est nostra
 sententia, sed contrariam satis confidenter amplectuntur, in-
 ter quos est Hugo de Roye de eo quod justum lib. 1. tit. 2. Le-
 gitur in sacris Pandectis Genes. IX, 5. 6. *Quin etiam sanguinem
 vestrum, id est animarum vestrarum: ab omni bestia reposcam eum,
 atq; etiam de manu hominis alterius, utpote fratris, reposcam ho-
 minis animam.* Unde interdictum homicidium adeò que pœ-
 na & obligatio cætera animalia etiam spectare videtur. Le-
 gimus etiam apud Aristotelem lib. 1. c. 1. *hist. animal.* alia ani-
 malia sub Duce seu Rege esse i. e. sub imperio alicujus sui gregis.
 Ex lege porrò XII. Tabul in juris Cæsarei corpus recepta,
 animalia, quæ pauperiem fecerint, si noxæ dedantur, proficiunt
 reo ad liberationem ab actione morali perinde ac si ex illis, ab
 eo, cui facta est pauperies, veluti ob jus violatū pœna sic foret
 suo arbitrio exigenda. l. ff. si quad. paup. Apud Christianos quo-
 que scimus, in foro aliquoties decisum, porcum, qui puerum
 occiderat, mulam item, qua cum rem habuerit mulio, morti
 tradendos, Guid. Papa decis. 238. *ibiq; Ranchin.* Quæ ratio est
 quod hodiernum divinâ autoritate in detestandi facinoris ultio-
 nem eadem ipsa pœna hominibus pariter ac brutis sit sancita.
 Verùm hæc argumenta talia nō sunt, ut assensum à nobis extor-
 queant. Quod enim in sacro Codice de vindicando humano
 sanguine traditur, illud cum antiquioribus Hebræis est acci-
 piendum de cæde humana, seorsim à bruto alterius instigatio-
 ne facta. Moses Mikozzi præcept. Negat. 163 Grot. ad Te-
 stam. Vet. Genes. 9. pag. 19. Lyranus ad Genes. IX, 5. ita hunc
 locum explicat, inquit: *ut homo non solum puniatur propter
 homicidium, sed etiam bestia, si interficiat hominem propter fa-
 cti horrorem, quamvis animal brutum peccare non possit.* Et
 eleganter Grot. d. I. B. & P. l. 2. c. 21. §. II. *quia in bestias propriè
 delictum non cadit, ubi bestia occiditur, ut lege Mosis ob concubitum
 sum homine, non ea verè pœna est, sed usus domini in bestiam.* Et
 videlicet eum in defensione fidei Catholice cap. 1. quod dominiuna
 paritem



parilem vim obtinet, ubi nec similitudo quidem aliqua in bestiis culpæ ejusve figmentum reperitur, ut nemo non videt in promiscua brutorum pro humano arbitrio cæde. Vid. Plutarch. *libr. de solertia brutorum*, ad cõ ut revera in bovis cornupetæ brutique, quo cum homo coisset, cæde, pœnæ propriè dictæ, si brutum tantum spectes, ratio ulla non magis haberetur, quàm ubi Canis, Simia, Gallus ac Vipera culeo ex jure Romanorum vter. *l. 9. ff. d. leg. Pompej. d. parricidis*, cùm parricida insuti in mare aut amnem projiciebantur. De jure interficiendi bestias Vid. Grot. *d. I. B. lib. 2. c. 20. n. 9. & in not. ad T. V. Genes. cap. 4. pag. 12. & cap. 9. Genes. pag. 18.* Rectè S. Augustin. *lib. 1. de adult. conjug. ad Pollent. cap. 16.* ait: *Consuetudo sermonis ita latè patet, ut etiam jumenta, quamvis sint rationis expertia, tamen plerumque dicamus debere vapulare cum peccante. Peccare autem propriè non est nisi ejus, qui utitur rationalis voluntatis arbitrio, quod in omnibus mortalibus animantibus non nisi homini est divinitus attributum, sed aliud est, cùm propriè loquimur, aliud cùm verba ex aliis rebus transferendo vel abutendo mutamus.* Omnes itaq; Philosophorũ proceres, qui sæpe constanter brutorum instinctus pro jure vel lege venditant, videntur non tam rem ipsam & naturæ præscriptum, quàm similitudinem ex nostris actionibus petitam spectasse, indeque abusivè locuti esse. Nec opus est, ut exemplis, quæ ad sententiam illam stabiliendam afferunt, veluti de Camelo & de equo Scytico nobilis in hanc rem narratio apud Aristot. *animantium historia 9. cap. 46.* & non dissimilis apud Oppianum libro primo de venatu. Seneca in *Hippolyto*:

Feræ quoque ipsæ Veneris evitant nefas,

Generisque leges inscius servat pudor.

Vid Grot. *d. I. B. lib. 2. c. 5. n. 12. in fin.* multis respondeamus. Nihil enim aliud evincunt, nisi quod sit æquivoca juris communio cum brutis animalibus. Totam hanc rem paucis complexus Grot. *d. I. B. lib. 1. c. 1. n. 11.* *An verò actus ipse, de quo jus nature constituit, sit nobis communis cum aliis animantibus, ut prolis educatio, an nobis proprius, ut Dei cultus, ad juris ipsam naturam nihil refert.* Conjunge Johann, Seldenum *d. I. N. G.*



lib. I. c. 4. 5. B. Hornej. in Philosoph. Moral. lib. 4. cap. 3. n. 21. 22. 23.

XIII. Esse aliquid juris naturalis, ut docet Grot. *d. I. B. lib. I. c. I. n. 12.* cum ab eo, quod prius est, tum ab eo, quod posteriorius, probari solet, quarum probandi rationum illa subtilior est, hæc popularior. A priori, si ostendatur rei alicujus convenientia, aut disconvenientia necessaria cum natura rationali ac sociali; A posteriori verò esse illud juris naturalis, si non certissimam fidem, certè admodum probabiliter colligitur, quod apud omnes gentes, aut moratiores tale esse creditur, idem Grot. *in Prolegom. vers. Sed quod ubi multi diversis temporibus ac locis idem pro certo affirmant, id ad causam universalem referri debeat: quæ in nostris questionibus alia esse non potest, quàm aut recta illatio ex natura principii procedens, aut communis aliquis consensus. Illa jus natura indicat, hic jus gentium: quorum discrimen non quidem ex ipsis testimoniis (passim enim scriptores voces juris natura & gentium permiscunt) sed ex materia qualitate intelligendum est. Quod enim ex certis principiiis certa argumentatione deduci non potest, & tamen ubique observatum apparet, sequitur ut ex voluntate libera ortum habeat. Quem locum copiosè est persecutus Seldenus *lib. I. cap. 4. 5. 6.* Cum enim antè probasset, Hebræos ex aliorum animantium actibus & usu jus naturale non elicere, nec ullum jus homini cum brutis commune agnoscere, deinde ad gentium omnium sive complurium opiniones, placita, mores, constitutiones progressus, quibus & ipsis jus naturale non metiebantur Hebræi, annotat, argumentum ut à posteriore è Gentium moratiores illustriorumq; moribus velut è laudatorum virorum suffragiis, non intempestivè interdum desumi, maximè cum de juris naturalis, quod scilicet est permissivum, capitibus aliquot disquiritur. Cum inde manifestum fiat, quod ipsæ de rebus, circa quas mores sui, quæ generatim permissi sint aut liciti, versantur, in hanc rem senserint, aut sentire saltem visi fuerint. Quicquid enim quocunque jure homines permitti consenserint, illud ut etiam jure naturali si ejusdem rationem aliquam haberent, permitti, nec naturam in contrarium obligare, i. e. rem non universali naturæ, quæ sibi constans, aliquo interdicto restringi existimaverint, aut existimare emularint necesse esse opinatur Seldenus *d. c. 6.**

Cate-



Cæterùm quod Gentes eadem de juris naturalis, quod obligativum est, capite aliquo aut de simplici naturalis permissionis ratione ac universali ejus usu statuerint, ne quidem inde conjectari posse, ideo quòd jura naturalia civili seu positivo atq; imperativo ac intervenienti adeò immixta & involuta in una massa conjuncta sint, ut hæc ab illis fecernere ex Gentium ipsarum tantum usu seu moribus, earumque de ea re sententiam elicere queat mortalium nemo, de quo Selden. *lib. 1. cap. 3.* Præterea notat idem Selden. *d. cap. 6.* quod Gentes seu populi omnes tripliciter sumi possint, aut pro universis simpliciter per orbem terrarum distributis; aut pro omnibus illis, quarum notitia habita; aut demum pro omnibus duntaxat, qui cognitarum sunt moratiores. Omnes gentes per totum orbem terrarum disseminatas, nec veterum eorum, qui de jure, quò omnes utuntur, locuti sunt, quisquam noverit. Frustra itaque de gentibus universis, sive vetera sive recentiora secula spectamus, verba fiant. Si quærat de gentibus, quarum notitia habita est, ut consensus in moribus eliciatur, seculis illis priscis gentes fuerunt plures, quæ juris omnimodè expertes hab. tæ more planè ferino vixisse dicuntur. Arist. *Nicom. lib. 7. c. 6. & lib. 8. Polit. c. 4.* Seldenus *d. mari claus. lib. 1. cap. 7.* (quem librum lepida urbanitate erudito viro dignâ voce Thalassocraticum laudavit Grot. *d. 1. B. lib. 2. c. 2. n. 2. in not.*) Non itaq; omnium Gentium, quarum notitia habita, morum ratio hîc habenda est, ut inde juris naturalis veluti corpus aliquod sperari possit. Vid. Euseb. *preparat. Evangelic. 1. lib. 1. cap. 4. & lib. 4. cap. 15. 16. 17.* & statuit Selden. *d. 1. N. G. d. cap. 6. pag. 81. ibi: Nec perperam minus, aut minus frustra sic rem aggredieretur sive Philosophus sive Jurisconsultus, quàm Medicus faceret; qui sive sanitati tuendæ, sive morbis curandis quanam essent cõducibilia edoctrurus sive è vulgari hominum victu sive è solennibus epularum lautitiis discenda ea prescriberet: ut illic habetur ratio gustus, luxus, pompa; non pariter sanitatis tutela aut curationis; quarum altera à cibis, altera à medicamentis ex natura sui, nec cupidinari nec coqui arte, congruis speranda est; ita in Gentium complurium moribus atque institutione non tam Naturalis juris simplicitas, quàm ipsarum utilitas ut*

justi



justi propè mater & aequi (quod olim Horatius) spectari est solita.
Ac non raro,

— — — — — *sidera terra*
Ut distant & flamma mari, sic utile Recto.

Denique si omnium earum Gentium, quas cognovimus, moratorum mores in argumenta, quibus juris naturalis capita adstruantur, redigantur, tunc simulac de moratoribus verba fecerimus, non pauci mortalium suam seu aliquam saltem, quam sibi sive ex vitæ instituto adsciverint, sive in literarum studiis fuerint præ cæteris admirati, aut moratissimam cæterisque juris omnimodi nomine præferendam esse, aut saltem moratoribus connumerandam pertendet. Vid. Seldenus. Nec dubium, uti B. Calixtus in *Theol. Moral. d. LL. pag. 49. & seqq.* probatum dedit, quod gentes & populi in multis legem naturæ contrariâ consuetudine oppresserunt, quod etiam affirmat Grotius *d. I. B. lib. 2. c. 15. n. 5.* Verùm, ait noster Grotius, *d. I. B. lib. 1. cap. 1. n. 12.* *Non certissimâ fide, sed probabiliter admodum colligi juris naturalis esse id, quod apud omnes gentes aut moratiores omnes tale esse creditur.* Quem modum probandi sumsit Grotius ab Aristotele, qui jus sociale & naturale non semel à posteriore delineavit, quod apud omnes gentes peræquè observatur; At verò aliud est quærere, an id, quod omnes gentes tale credunt, sit jus gentium, an verò jus naturale? Non itaque cum hoc confundi debet jus gentium Voluntarium, & quando apud gentes moratiores aliquid pro justo habetur, videndum ex quo principio ita statuerint, nimirum dictante conscientia & sensu Numinis divini, i. e. non sine agnitione imperii & obligatione. Ita reditur ab exemplo & consuetudine Gentium ad jus naturale, quod Grotius voluit. Vid. Boeclerum in *not. ad Grot. d. I. B. l. 1. c. 1. §. 12.* Ut summatim dicam, hanc difficultatem paucis ita expediam: Apodicticè Juris naturalis esse affirmo, quod in se ac sua natura conservat humanam societatem; Topicè verò id juris naturalis esse, quando ad Consensum universalem fit provocatio, qui Consensus non est unius gradus, quia gentes moratiores sæpe in id consentiunt, quod est Apodicticè certum, sæpè



sæpe in aliud. Qualis itaque est ratio colligendi, talis etiam oritur consensus, prout intellectus nunc apodicticè, nunc probabiliter est convictus. Nam ἐνδοξα sive probabilia sunt, Aristot. teste, *I. Top. cap. I.* quæ omnibus videntur, aut pluribus aut præstantioribus.

XIV. Hanc legem naturæ etiam post lapsum primorum parentum in nobis esse reliquam, tum experientia testatur, tum disertè docet Paulus *Rom. II, 15.* quid enim aliud est λογισμὸς κατηγορῶν καὶ ἀπολογεῖται, ratiocinatio accusans & defendens, in Ethnicis ostendens opus legis divinæ in corde scriptum, quàm dictamen rectæ rationis? quod etsi Ethnici sectari nollent, ex animo tamen penitus delere non poterant. Si itaq; recta ratio est iudicium ex naturali lumine promanans, vel nullum est naturale lumen post lapsum primorum parentum, vel debet concedi, reliquam esse rectam rationem. Consequentia est evidens; Antecedens verò negari nequit, nisi auctoritatem sacræ Scripturæ in dubium vocare velimus. Hæc enim tum in theoreticis, tum in practicis lumen aliquod naturale passim inculcat & agnoscit. Superesse aliquod lumen in theoreticis confirmat, cum in genere tradat, naturaliter cuivis esse notum, Deum esse omnium rerum causam, justum iudicem scelerum, Liber sapientiæ *cap. XIII, 2.* David *Psal. XVIII, 1. 2.* Paulus *Actor. XIV, 16. XVII, 26. Rom. I, 19. 20. 21.* Et profectò ex illis locis evidenter patet, non tantum ad cognoscendam rerum creatarum veritatem, sed etiam ad ipsum Deum autorem totius universi ex illis creaturis agnoscendum naturale aliquod lumen homini competere, nimirum quod sit sapiens, justus, æternus, bonus, omnipotens. Vid. Calixt. *in Epit. Theol. pag. 60.* quæ omnia præsupponit Theologus tanquam in inferioribus disciplinis tractata, & demonstrata, & tantum ex propriis sibi que peculiaribus principiis, nimirum divinis literis ea persequitur, quæ alioquin ingenio humano incognita fuerunt & impervia. B. Calixtus *in d. Epitom. Theolog. commun. part. prim. pag. 44.* Præterea existare etiam in practicis lumen aliquod naturale sacræ literæ perspicuè docent *Rom. I. 32. c. II, 14. 15.* Hinc Paulus *1. ad Cor. XI, 14.*



XI, 14. ad naturale iudicium provocat. Hornej. *Philosoph. Moral. lib. 2. c. 2. n. 10. & lib. 4. c. 3. n. 20.* Vide sapius laudatum Calixtum in *Epitom. Theolog. pag. 66. d. stat. post lapsum.*

XV. Rectè Grotius *d. I. B. & P. lib. 1. cap. 1. n. 10.* ab imperio Dei naturæ autoris obligationem juris naturalis in ipsa descriptione arcessit, Bœclerus in *comment. ad d. n. pag. 135.* Cæterum idem Grotius *d. I. B. in prolegom.* non satis cautè locutus videtur in ratione danda juris naturalis, cum ait: *Et hæc quidem, quæ jam diximus, locum aliquem haberent, etiamsi daremus, quod sine summo scelere dari nequit, non esse Deum, aut non curari ab eo negotia humana.* Nam extra dubitationis aleam positum videtur, juris rationem non dari, nisi per imperium & rationem, indeque juris naturalis rationem sine imperio & indicatione supremi Numinis, in dictamine rectæ rationis & per illud nullam esse, Bœclerus *ad Grot. in præfat. pag. 7.* quod probant tum Philosophi magni, tum sancti Patres, & nonnulli Juri magni nominis. Quod ad Philosophos attinet: *Hanc video, inquit Cicero d. LL. lib. 2, sapientissimorum fuisse sententiam, legem neq; hominum ingenii excogitatum neque scitum esse aliquod populorum, sed æternum quiddam, quod univrsum mundum regeret imperandi prohibendique sapientiam: Ita principem legem illam & ultimam, mentem dicebant ratione aut cogentis aut vetantis Dei.* Et paulò post: *Nec si regnante Tarquinio nulla erat Romæ scripta lex de stupris, idcirco non contra illam legem sempiternam Sex. Tarquinius vim Lucretiæ Tricipitini filia attulit.* *Erat enim ratio profecta à rerum naturâ & ad rectè faciendum impellens, & à delicto avocans, quæ non tum denique incipit lex esse, cum scripta est, sed tum, cum orta est.* *Orta autem simul est cum mente divina, quamobrem lex vera atque princeps, apta ad jubendum & vetandum ratio est recta summi Jovis.* Et *de Republ. lib. 3. apud Lactantium lib. 6. c. 8.* *Non erat alia lex Romæ, alia Athenis, alia nunc, alia posthac. Sed & omnes gentes & omni tempore una lex sempiterna & immutabilis continebit, unusquisque erit communis quasi magister & imperator Deus. Ille hujus legis inventor, disciptator, lator, cui qui non parebit, ipse se fugiet & naturam hominis quasi aspernabitur.*



bitur. Hoc ipso luet maximas pœnas, etiamsi cœtera, quæ putantur, effugerit. Quid Patres senserint, ex eorum scriptis liquet. Hieronymus ad Galatas cap. 3. Et per hanc naturalem legem & Cain cognovit peccatum suum, dicens: Major est causa mea, quàm ut dimittatur; Et Adam & Eva cognoverunt peccatum suum, & propterea absconditi sunt sub ligno vita. Pharao quoq; antequam lex daretur per Moysen stimulatus lege naturæ sua crimina confitetur, & dicit: Dominus justus est, ego autem & populus meus impij. Et in Esaiam cap. 8. Audiant, inquit, Judæi, qui se solos legem accepisse gloriantur, quod univèrse primùm gentes totusque orbis, naturalem acceperit legem, ac idcirco postea lex data sit per Moysen, quia lex prima dissipata est. Origenes lib. 5. adversus Celsum illam vocat legem naturæ, quam generi humano Deus sancivit. Alexand. Alenf. pag. 3. q. 26 art. 4. D. Thom. p. 2. q. 19. art. 2. Ludov. Molin. d. just. & jur. tract. 1. disp. 3. Suarez. d. LL. lib. 1. cap. 3. & lib. 2. cap. 6. Alphons. à Castro d. leg. pœnal. lib. 2. c. 14. cum quibus Jcti consentiunt. Et ipse Justin. in §. II. Instit. d. jur. nat. gent. sed naturalia quidem jura, quæ apud gentes peræque observantur, divinâ quâdam providentiâ constituta semper firma & immutabilia permanent. Ferdinand. Vasquius illustr. controvers. lib. 1. c. 29. §. 14. Vid. Johann. Selden. d. I. N. G. juxt. discipl. Hebraor. lib. 1. c. 8. qui hoc graviter & eruditè ostendit. Puffendorff. in element. jurisprud. lib. 2. obser. 4. §. 3. Excellentissimus D. Musæus Pro-Cancellarius Academia Christian-Albertinæ Holsatorum. in dissertat. moral. de jur. nat. in genere num. 37. 38. & 39. Bœcler. in Grot. proleg. p. 54. ibi: An enim minor est auctoritas in divini numinis imperio, quo continetur jus naturæ, quàm in humano imperio, quo civitas regitur? an molliora jussa naturæ, i. e. Dei, quàm potestatis humanæ? an pœna tolerabiliores, quas Deus in lege naturæ minatur, quàm quas potestas humanâ lege civili sancit? at pœna, quæ divinitus imminet, non vitam, corpus, fortunas, & quicquid supplicia humana intra certum & plerumque brevem temporis terminum contingere possunt, afficiant tantum sed animis insuper & in perpetuum minantur. Quod nec Ethnicos latuit. Unde apud Platonem pœna eorum, qui jus naturæ violassent, per singula capita enumerantur apud inferos. Quem locum etiam in



*Aeneidem suam transtulit Virgilius: ut conficeretur caput & summa Philosophia hujus: Discite justitiam moniti & non temere divos. Numinis enim divini contemptus omnem juris omnis disciplinam evertit & prosternit. Cur ergo magis homines humanam vindictam metuunt, quam divini numinis iram tanto graviolem? Eadem causa, quam dixi, facit ut animi, non in longitudinem consulentes, sed presentibus tantum intenti, quae consecutura sunt, licet longè majora, suo pretio non taxare verum quicquid ex propinquo imminet, magis metuendum credere assuescant: & ab eo, quod naturam non depravata, i. e. rectè atque integre judicans suppeditat, veluti non sentientes abducantur. Reviviscit tamen, non levibus momentis iudicii sanioris, religio in animis: & reverentiam metumque Dei memoris fandi atque nefandi suscitatur. Quae res enim alia efficit, ut foedera & jusjurandum servant, qui nullam vim humanam formidant? an metus infamiae apud homines? at hunc declinare aut sanare, ac innoxium reddere non debilibus remediis possent. Ita reditur ad sensum metumque divinae vindictae sive juris naturalis, quod sanctione poenae divinitus imminetis constat. Atque hic *ἡθροδικασμὸς* & suprema certa que Numinis supremi vindicta, ac iudicium Tragicorum Philosophiam contexit ac implevit, qui in eo toti sunt, ut ostendant, ea, quae in iura natura peccantur, etiam si humanum iudicium effugiant, divinitus certo & graviter vindicari. Hinc illi loci huic argumento proprii: magnis sceleribus iura natura interire, quod M. Seneca extulit; Dei vindicem esse oculum, & in omnia delicta vigilem. Et clarissimus Dn. Rachelius in dissertatione Academica d. jur. nat. sub ejus praesidio habita in Academia Julia n. 42. qui legem naturalem definivit, quod sit Oratio universalis à divina providentia profecta & naturaliter cognoscibilis, habens vim obligandi ad faciendae ea, quibus conservantur societates humane naturales, & omittenda ea, quibus eadem destruuntur. Objici hinc solet illa hypothesis: Etsi Deus non prohibeat illa, quae sunt intrinsecè turpia, & non praecipiat illa, quae naturam suam sunt honesta, nihilominus verum esse, adulterium, homicidium, furtum esse fugiendum, colere parentes esse bonum & faciendum. Respondemus, illam hypothesis esse omnino impossibilem. Deus enim*



enim non potest non prohibere illa, quæ naturâ & intrinsecè sunt turpia, nec non potest præcipere ea, quæ per se sunt bona & facienda. D. Thom. 1. 2. q. 72. art. 6. & q. 100. art. 8. ad 2. Francisc. Victoria in relect. d. pervenientibus ad usum rationis n. 9. 10. Verum tunc nova hæc difficultas sese offert: Quod præceptum divinum sit actus divinæ voluntatis, divina verò voluntas sit libera in omnibus actionibus ad extra. Ergo etiam est libera in illa prohibitione & mandato. Respondemus cum Cajetano in D. Thom. d. q. 100. art. 8. licet divina voluntas sit libera in actionibus ad extra, quod tamen præsupposito actu aliquo libero necessario & non liberè Deus velit alium actum, ut si velit promittere absolutè, necessario debet adimplere promissum. Grotius d. J. B. lib. 2. c. 11. n. 4. & si Deus creet hominem, non possit non prohibere, quæ principiis rectæ rationis repugnant, nec non illa præcipere, quæ principiis rationis sunt consentanea, Suarez d. L. L. lib. 2. c. 6. n. 11. 12. 13. Si itaque alicujus res in eo sint positæ statu, ut nullum sibi hominem vehementer extimescendum judicet, qualis persuasio variis de causis etiam non valdè potentibus subreperere solet, superest metus Dei, supremi justitiæ vindicis, qui violatores juris naturæ non impunè sinit abire. Hæc vindicta Numinis, etsi lento sæpe incedat pede, nec semper, quâ ratione sese exuerit, ab aliis possit deprehendi: quia tamen frequentia ejusque illustria occurrunt exempla perfidorum mactatorum miseris, quas communiter omnes non Athei in Deum perfidiæ ultorem referunt, inde fit, ut metus Numinis ultimum tandem robur fidei humanæ addat. Ex quo apparet, quantopere rerum humanarum intersit, atheismum non invalescere. Si enim Deum munere justitiam administrandi dimoveris, omnis pactorum efficacia, ad quæ servanda nunc paciscentium alterum non potest vi adigere, continuò expirabit, & propriâ quisque justitiam utilitate metietur. Et si verum fateri volumus, remoto divinæ vindictæ metu, nulla sufficiens apparet ratio, quare id, ad quod alteri præstandum me obligâram, utilitatis ratione post conversâ omnino præstare teneam, siquidem nullum ob id malum ab homine quoquam sit pertimescendum. Puffendorff. Element. jurisprucl. lib. 1. def. 12. n. 16.



XVI M. Tullius Cicero 3. d. *Finib. c. 5. 6. 7. & 2. d. Finib. II.* ex libris Stoicorum eruditè differit, esse quædam primam naturam, Græcis τὰ πρῶτα κατὰ φύσιν, quædam consequentia, quæ tamen illis primis sunt præferenda. Prima naturam vocat, quod simul atque natum est, ipsum sibi conciliatur, & ad se conservandum commendatur, atque ad suum statum & ad ea, quæ conservantia sunt ejus status, diligenda, alienatur verò ab interitu iisque rebus, quæ interitum videantur adferre. Hinc ait, primum esse officium, ut se quis conservet in naturam statu, deinceps ut ea teneat, quæ secundum naturam sunt, pellatque contraria, post hæc cognita sequi notionem convenientiam rerum cum ipsa ratione, quæ corpore est potior, atque illam convenientiam, in qua honestum sit propositum, plurius esse faciendam, quam ad quæ sola primum animi appetitio ferebatur. Prima enim naturam commendant quidem nos rectam rationi, verum ipsa recta ratio carior nobis esse debeat quam illa sint, quibus ad hanc venerimus, Grotius. *d. I. B. lib. I. c. 2. n. 2.* Ex quibus ratio concludendi non est hæc: Hoc vel illud primis naturam non repugnat: Ergo naturaliter non est injustum. Ratio enim justæ vel injustæ primis naturam non inest; sed hoc modo colligi potest: Hoc non repugnat primis naturam, quibus nec ratio obicem ponit, sed potius illum instinctum probat, imperat & respectu civilis societatis temperat, & limitat: Ergo injustum non est censendum. Sic inter primam naturam nihil est, quod bello repugnet, imò potius omnia illi favent: finis enim belli, vitæ & membrorum conservatio & rerum ad vitam utilium aut retentio aut acquisitio illis primis naturam maximè convenit, & vi ad eam rem, si opus sit uti, nihil habet à primis naturam dissentaneum, cum singulis brutis animantibus vires ideo sint à Deo ter Opt. Max. concessæ, ut sibi tuendis juvandisque sufficiant, Excellentiss. Dn. Bœclerus *ad Grot. lib. I. cap. 2. pag. 177. & seqq.*

XVII Actus, de quibus extat dictatum rectæ rationis, debiti sunt aut illiciti per se, atque ideo à Deo necessariò præcepti aut vetiti intelliguntur, Grot. *d. I. B. lib. I. c. I. n. 10.* quæ notâ differt hoc jus non tantum ab humano jure, sed & à divino, quod non præcipit aut vetat illa, quæ per se ac suapte na-

tura



tura aut debita sunt aut illicita; sed vetando illicita, præcipiendo debita facit. Qui igitur actus cum natura rationali ac sociali necessariam convenientiam habent, illos recta ratio præcipit ac jubet; è contrario, qui actus cum natura rationali ac sociali necessariam habent repugnantiam, illos recta ratio prohibet ac vetat, Thom. 1.2.9. 91. art. 2. q. 94. art. 2. & 4. q. 65. art. 2. 4. q. 100. art. 1. 2. 3. Soto d. I. & I. lib. 1. q. 4. art. 2. Covarruv. ad Peccatum 2. part. §. 11. n. 4. Sciendum præterea, jus naturale non de iis tantum agere, quæ citra humanam voluntatem existunt, sed de multis etiam, quæ voluntatis humanæ actum consequuntur. Multa enim dantur, quæ quoad exercitium actus arbitraria sunt, seu ubi in arbitrio hominum situm est, actum aliquem suscipere velint, an non, verum quando est actus susceptus, ex aliquo præcepto juris naturæ necessitas moralis seu obligatio ipsum consequitur, aut ex eodem modo & circumstantiæ determinantur, Suarez. d. LL. lib. 2. c. 14. n. 7. Sic licet jus naturæ non præcipiat, ut quis cum altero contractat, posito tamen contractum esse initum, idem jus præcipit, ut fides servetur, nec dolus vel fraus committatur, Puffendorff. Element. jurispru. d. lib. 1. def. 13. §. 16. Sic etiam dominium, quale nunc est in usu, voluntas humana introduxit, Grot. d. I. B. lib. 2. c. 2. n. 2. Seldenus de Mari claus. c. 5. in princ. eo verò introducto nefas mihi esse id arripere te invito, quod tui est dominii ipsum indicat jus naturale, quare furtum naturali jure prohibitum dixit Paulus J Crus l. 1. ff. d. furt. naturâ turpe Ulpianus l. Probrum ff. d. Verb. significat. Grot. d. I. B. lib. 1. c. 1. num. 10. Societas enim, ad quam homines sunt geniti, constare non potest, nisi possessiones cujusque tutæ sunt, quare qui privato aliquid eripit, aut subripit, Rempublicam simul lædit, ejus vinculum dissolvendo, nec dubium est, quin, qui id sibi indulget, si possit, omnia omnium sit invasurus, ipsamque Rempublicam vi facturum suam, injustitia enim vires nacta maximas, fit tyrannis, Grot. in explicat Decal. Et quidem jus naturæ, quatenus legem significat, non tantum ea respicit, quæ dictat justitia, quam Grotius d. I. B. & P. lib. 1. c. 1. n. 8. explettric em vocat, sed omnium quoque virtutum, ut temperantia



rantia, fortitudinis, prudentia actus in se continet, ut in certis
 circumstantiis non honestos tantum, sed & debitos. Grot. d.
 I. B. lib. 2. c. 1. n. 9. Novum verò est & ἡγεμόνων, asserere
 prudentiam & artem in solis singularibus occupari. De
 arte verba Aristotelis in Rhetoricis lib. 1. Rhet. c. 2. hæc sunt:
*Nulla ars singula considerat: ut medicina, non quid Socrati aut
 Callia, sed quid ita affecto, aut ita affectis salutare sit. hoc enim
 arte comprehendi potest; at id, quod ad unumquemque singulatum
 pertinet, infinitum est, neque sub scientiam cadit. Ne Rhetorica
 quidem, quid cuique probabile sit, considerat, ut Socrati aut Hip-
 pia, sed quid talibus, quemadmodum & Dialectica. In eadem
 sententiam differit lib. 1. Metaphys. c. 1. Et lib. 2 Nicom. c. 2.
 & lib. 6. c. 8. verba ejus sunt: εἰδ' ἐστὶν ἡ φρόνησις τῶν καθόλου
 μόνον, ἀλλὰ δὲ καὶ τῶν καθέκαστα γνωρίζειν. & paulò post:
 ὡς δὲ δὲ ἀμφω ἔχειν ἢ ταύτην μάλλον. Neque est Prudentia
 universalium duntaxat, sed oportet & singularia nosse: ut pro-
 inde oporteat utramque habere cognitionem (universalium & sin-
 gularium) vel posteriorem potius. Quæ totidem verbis habentur
 l. 5. Eudemior. cap. 7. Posteriora illa illustrat Paraphraistes
 Græcus: Cum in agendo occupetur Prudentia, utrumque adesse
 illi oportet, aut singularia magis. μετὰ γὰρ ἔσται καθόλου μόνον &
 δυνατόν εἶναι πρακτικὴν. Priora optimè exponit hunc in mo-
 dum Donatus Acciajulus ad cap. 7. n. 68. Sapientia est tantum
 de universalibus, prudentia non est tantum de universalibus, sed
 etiam de singularibus. Major est clara, quia tam intellectus
 quàm scientia, est tantum circa universalia, Ergo sapientia quæ
 est simul ex utrisque constans, erit solum circa universalia. Minor
 probatur à Philosopho. Nam prudentia est universalium, quia
 in rebus agendis sunt principia universalia, de quibus nulla alia
 virtus considerat, quàm prudentia. Consultat etiam prudens, u-
 trum sit facienda pax, utrum magistratus sint electione constituē-
 di, & alia hujusmodi. Verum non solum universalium, sed etiam
 singularium est, &c. Dn. Conring. de Civil prudent. c. 9. p. 159 &
 161. ubi hæc verba ponit: Circa unum idemque objectum di-
 versi mentis habitus occupantur, diversâ tamen ratione conside-
 randi, quâ efficitur, ut ipsum objectum quoque sit diversum. Per-
 inde*



inde atque circa corpus humanum & Physicus & Medicus, & carnifex versatur: at quoniam non unus est considerandi modus, eo ipso fit, ut reapse objectum illorum sit diversum. Objectum scilicet Physici est corpus illud quatenus simpliciter est obnoxium mutationibus: Medici, quatenus est capax morbi ac sanitatis; carnificis, quatenus potest graviter puniri. Unum igitur idemque est, & non unum idemque: materialiter nempe unum, non formaliter, ut cum Scholasticis Philosophis loquamur. Objectum itaque prudentiæ generatim spectatum est id omne, quod rectâ ratione est agendum, in unoquoque tamen particulari homine spectata circa res singulares duntaxat versatur, quia ad prudentiam pertinet non solum consideratio rationis, sed etiam applicatio ad opus, qui finis est practicus; nemo verò mortalium aptè potest unum ad aliud applicare, nisi utrumque in particulari perspectum habuerit. Et licet ratio sit primò & principaliter rerum universalium, potest tamen per habitum prudentiæ universales notitias ad particulares actiones applicare, sicque objectum prudentiæ absolute & simpliciter dici debet particulare, quod formaliter distinctum est à subjecto cæterarum virtutum. Hinc idem agibile potest esse objectum materiale prudentiæ & alterius virtutis, at non sub eadem ratione formali, sed pertinet ad prudentiam, quatenus est objectum rationis sub ratione veri practici, ad alias verò virtutes, quatenus est objectum appetitionis sub ratione boni appetibilis. Hujus prudentiæ veritas non est posita in conformitate intellectus cognoscentis cum re cognita, sed in adæquatione rationis ad appetitum rectum, Aristot. 6 Ethic. c. 2. Licet itaque habitus prudentiæ versetur circa objectum contingens, erit tamen verus, si rectè appetitui conformetur. Quare prudentia ut sit perfecta, cæteras virtutes sibi adjunctas necessariò postulat: Hinc fit, ut vir perfectè prudens ex integro & sano affectu de rebus agendis judicet, & judicium viri prudentis sit semper practicè verum. Dixi notanter supra quod jus naturale præcipiat *actiones omnium virtutum*; non enim omnes actiones virtutum lex naturæ præcipit, cum multæ suscipiantur liberè absque obligatione. Grot. d. I. B. lib. 3. cap. 4. num. 2. Beatus Hornejus in civil. Philos. lib. 4. c. 4. num. 28. & sic sunt multa honesta, quæ cum eximia laude

G

præ-



præstantur, absque turpitudine tamen morali omitti possunt. In hoc genere maximè occupari solent leges tum divinæ tum humanæ, id agendo, ut quod per se laudabile tatum erat, etiam deberi incipiat. Grot. *d. I. B. lib. 1. c. 2. n. 1. & lib. 2. c. 22. n. 16.* idque docet Thom. 1. 2. *q. 92. art. 3. & q. 100. art. 2.* actus virtutum secundum speciales suas rationes non esse de lege naturæ, Suarez. *d. LL. lib. 2. c. 7. n. 11. 12. 13. 14.* Lex itaque naturæ nihil præcipit nisi actiones virtutum, non tamen omnes actiones, quæ à virtute proficisci possunt; Div. Thom. 2. 2. *q. 104. art. 2.* longè verò alia ratio est eorum, quæ lex naturæ vetat. Prohibet enim recta ratio omnes actiones vitiosas, vel omnia vitia, quia illa repugnant naturali inclinationi hominis, ut homo est, quia naturalis inclinatio hominis, ut homo est, ea est, quæ fit secundum rectam rationem, nihil enim magis competit homini, ut homo est, quàm recta ratio: at verò inclinatio, quæ est secundum rectam rationem, fit semper in bonum honestum; vitium verò per se inclinat in bonum delectabile, quod repugnat tali bono, quare vitium & absolutè & simpliciter est contra naturam hominis. Addo: Quod appetitus rationalis habeat naturalem inclinationem ad virtutem, indeque omnes, qui sunt sanæ mentis, virtutem laudent. Est verò in appetitu sentiente inclinatio quædam ad obediendum appetitui rationali tanquam superiori, qui appetitus in homine dicitur Arist. aliquo modo rationis particeps. Totus ergo homo, absolutè & simpliciter loquendo, inclinat ad virtutem, id eoque vitium virtuti per se oppositum erit absolutè contra naturam hominis, Vid. Hornejus in *Philosoph. Moral. lib. 4. c. 3. n. 28.*

XVIII. Ex suprâ dictis satis liquidò patet, illud esse injustum, quod naturæ societatis ratione utentium repugnat, sic alteri detrahere sui commodi causâ contra naturam esse dicit Cicero *d. Off. 3.* quod ita evincit, quia si hoc fiat, societas hominum & communitas evertatur necesse sit; Hominem homini insidiari nefas esse, probat Florentinus in *l. Vi vim ff. d. just. & jur.* quia cognationem quandam inter nos constituerit natura. Grot. *d. I. B. lib. 1. c. 1. n. 3.* Lex quidem Mosis specialiter imperat benefacere popularibus ἀγαπᾶν τὸν πλησίον, prætera



præterea peculiaris victus & morum ratio Judæis præscripta familiarem cum hominibus cæteris consuetudinem vix patiebatur: sed non inde sequitur, aut benefacere extraneis non licuisse, aut id laudabile non esse, quod inde colligit posteriorum magistrorum prava interpretatio, uti ex Josepho, Albo Mose Majmonide, Bachai & aliis in explicatione Deteuron. XI, II, discimus. Grotius d. I. B. lib. 2. c. 15. n. 9. & in Epist. Pauli ad Ephesios v. 10. & ad Matth. c. 5. pag. 133. Liceat hic adscribere eruditissimi Petri Cunæi verba ex 3. d. Repub. Hebr. c. 4. p. mihi 305 Injurii in Mosem sunt, qui hoc illi affinxere. Din post tempora illius cæpit hoc esse Judæorum primò vitium, dein mos quoque: ut rectè Hieronymus dixerit, peiores esse eos nunc quàm olims Fuit illis hinc adversus omnes gentes hostile odium, separati epulis, discreti cubilibus, alienigenas, ut purgamentum, vitabant. In summa mendacitate superbire, Dei se gentem dicere, patriam religionem & antiqua omnia jactare, denique nihil moderati neque pensi habere. Profectò, insigniter invidos & zelotas oportet fuisse, qui decretum istud Hyrcani & Aristobuli tempore fecere, quod Rabbi Zacuth memorat in libro Juchasin: Maledictus sit, qui filium suum Græcorum instruxerit disciplinis. Ab eadem malevolentia fuit, quòd tantopere indignati sunt, legem Mosis fuisse Alexandria in profanum sermonem conversam, Philadelphi optimi Regis jussu. Dolorem quidè certè suum quotannis solenni jejunio ad VIII. Thebeth fassii sunt. Hac mera arugo erat, hic nigra loliginis succus, qui animos eorum venenaverat. Talia sunt quæ ex Maimonide, Seldenus de I. N. & G. 4, 3. & Constantinus L'Empereur ad Cod. I. II. forens. pop. Israt. cap. 4. §. 3. notant: quod non liceat Judæo, gentilem ex periculo mortis servare, aut, cum in aquam ceciderit, sublevare; quod omnes non-Judæi (nam sic gentiles vocare solent) loco bestiarum sint habendi, quia illis non insit perfectio virtutum humanarum; adeò ut Judæis inservire, ipsorumque commodo vivere vel mori debeant. Qui furor & pertinacia usque in hunc diem apud Judæos non minuitur. Id quod tum plerisque notissimis documentis satis constat, tum ex scypho paschali intelligitur, quo omnes non-Judæos execrantur dirisq; devovent, accommodatis etiam impiè ad hostile suum odium



votumque explendum S. literarum verbis. Legas monco Magni illius Buxtorffii *Synag. Jud. cap. XIII.* Ita Juvenalis *Satyrā 14. de Judæis & præcepto Mosis*

*Romanas autem soliti contemnere leges,
Iudaicum ediscunt & servant & metuunt jus,
Tradidit arcano quodcumque volumine Moses:
Non monstrare vias, eadem nisi sacra colenti,
Quæsitum ad fontem solos deducere verpos.*

Verum, monstrare viam erranti, non prohibere aquam profluentem, pati ignem ab igne capere, consilium fidele deliberanti dare, ipsius naturæ rectæque rationis dictatis continentur, & inter præcipua communis humani juris societatisque officia referuntur, ut ferus, inhumanus, infociabilis habeatur, qui ista negligit, sicut vel ex Cicerone discimus. Vid Grot. *d. I. B. lib. 2. c. 2. num. 11. 12.* de quibus eleganter idem Grot. *ad Evangelist. Matth. c. 5. pag. 130.* cujus verba hic subjungimus: *Hujus generis & illa sunt, quæ Cicero dicit tribuenda vel ignoro. Non prohibere aquam profluentem, pati ab igne ignem capere, consilium fidele deliberanti dare. Hac ipsa autem non solita esse à Judæis præstari hominibus extraneis testantur versus juvenalis:*

*Non monstrare vias eadem nisi sacra colenti,
Quæsitum ad fontem solos deducere verpos.*

*Sed & Tacitus: Apud ipsos fides obstinata, misericordia in promptu, adversus omnes alios hostile odium. Sed nimirum hic quoque error inhumanus Judæorum ex sæpè jam indicato fonte oriebatur, quod abundè se omnes officiorum partes implese crederent, si iis præceptis paruisent, quibus ipsorum civilis societas continebatur: At certè neque lex Judæica naturalem tollebat, neque societas illa propior antiquiorem generis humani societatem, ad quam ille respexit, qui se $\kappa\omicron\sigma\mu\omicron\tau\omicron\delta\iota\tau\eta\nu$ dixit, & Florentinus $\text{I}^{\text{C}}\text{tus}$, cum a natura cognationem quandam inter homines ait institutam. Inde illud: Homo sum, humani nihil à me alienum puto. Et quæ sunt alibi in eandem sententiam. Hoc ipsum est, quod apolo-
logo Samaritani Judæo vulnerato succurrentis, quem Sacerdos & Levita præterierant, Christus docuit. Non negat Judæum Judæo*



deo esse τὸν πλησίον, arctiore nexu consanguinitatis & propria ipsorum legis vinculo. Sed ostendit id non obstare, quò minus communis ortus & lex ipsa natura omnem hominem omni homini faciat esse τὸν πλησίον, id est, non alienum, sed necessitate quadam coherentem, ac propterea neminem esse, cui non datâ occasione benefacere debeamus. Illud quidem fatendum est, cum vidus rationem peculiarem Deus Israëlitis præscripsit, hoc ipso significatum, consuetudinem admodum familiarem externarum gentium, utpote corruptissimarum, ipsis esse defugiendam: quod ad illorum temporum rationem erat accommodatum. Atque hinc est, quod passim legimus in his libris, Judæos non solitos συγγρηῶν, συνεσθίειν, κολλᾶσθαι, προσέρχεσθαι alienigenis. Et hoc ipsum Apollonius Molo M. Tullii Ciceronis Præceptor invidiosè objiciebat Judæis, ὅτι μὴ παρεδέχοντο ἴσας ἀλλὰ αἰς προσκαλειλημμένους δόξαις πρὸ Θεῶ, μηδὲ κοινωνεῖν ἡμελόν τοῖς κατ' ἐτέραν συνήθειαν βίαι τὴν προσαιρημένοις: quod Josephus non negat, sed exemplo Laconica ζευηλασίας defendere conatur. Et passim apud Josephum inimici Judæis objiciunt τὸ ἀμικλον, τὸ ἀσμίφυλον, quod alio loco vocat τὴν διαίτας ἀμιζίαν. Sed qui sapiunt, facile vident extra legis præscriptæ & sententiæ à Judæis itum, cum communia quadam officia etiam iis debeantur, quos à propioris necessitudinis vinculo aut lex arcet aut ratio. In lege Mosis Deus, ut cum Tertulliano loquar, quorundam fidem paulatim ad disciplina Christiana nitorem, primis quibusque præceptis balbutientis adhuc benignitatis informabat, quare cum illam indefinitam dilectionem illi præstare nondum possent, neq; promiscuâ consuetudinem ferret ipsorum infirmitas in tanto præsertim vitiorum atque impiarum superstitionum regno, saltem in consortes sanguinis ac religionis omnia benevolentia officia exhiberi Deus voluit, idque ipsum, præter communes natura regulas, lege promulgatâ sanxit. Quamdiu, ut ad Tertulliani verba redeam, intra Israëlẽ erat sacramentũ, meritò in solos fratres misericordiã mandabat (nempe in fœderis formula) At ubi Christo dedit gentes in hereditatem & in possessionem terminos terre, & cœpit expungi quod dictũ est per Osee: Non populus meus, populus meus, & nõ misericordiam,



diam consecuta, misericordiam consecuta, Natio scilicet, exinde Christus in omnes legem paternæ benignitatis extendit, neminem excludens in miseratione, sicut in vocatione. Socialis itaq; natura his ferè officiis generalibus cōtinetur, ut quilibet alteri præstet ea citra adhibitam extrinsecam coactionem, tam quæ ex obligationibus peculiariter contractis illi debentur, quàm quæ communis cognatio exposcit, qualia vulgo habentur, quibus citra incommodū nostrum prodesse possumus, Cicero 1. *Offic.* Quidni, inquit, quando sine detrimento suo potest, alteri communicetur, in iis, quæ sunt accipienti utilia, danti non molesta, & Seneca 4. d. *benef. c. 28.* beneficiū negat dari posse ignis accēdendi potestatem. Non prohibere aquam profluentem. Grot. d. *Mar. lib. cap. 1* Puffendorff. d. *Element. jurisprud. lib. 2. observat. 4. & 21.* Hinc etiam jus transeundi terrā & amnibus: sic enim terræ & flumina & siqua pars maris in proprietatem populi venit, patere debet his, qui ad justas causas transitu opus habent, puta, quia suis finibus expulsi quærunt terras vacuas, aut quia commercia expetunt cum quavis gente seposita, aut etiam, quia quod suum est, justo bello petunt, quod prudenter temperat Grotius d. *I. B. lib. 2. c. 2. n. 13. & de mari liber. d. cap. 5. pag. 55. ibi: Quod si Castellanorum, qui in eadem sunt causa, portio accedat, parvo minus omnis Oceanus duobus populis mancipatus est, aliis tot gentibus ad septentrionum redactis angustias: multumque decepta est Natura, quæ, cum elementum illud omnibus circumfudit, omnibus etiam suffecturum credidit. In tanto mari si quis usu promiscuo solum sibi imperium & ditionem exciperet, tamen immodicæ dominationis affectator haberetur: si quis piscatu arceret alios, insana cupiditatis notam non effugeret. At qui etiam navigatum impedit, quò nihil ipsi perit, de eo quid statuemus? Si quis ab igni, qui totus suus est, ignem capere, lumen suo de lumine, alterum prohiberet, lege hunc humane societatis reum peragerem: quia vis ea est istius natura,*

Ut nihilominus ipsi luceat, cum illi accenderit.

Quidni enim quando sine detrimento suo potest, alteri communicet, in iis quæ sunt accipienti utilia, danti non molesta? Hæc sunt, quæ Philosophi non alienis tantum, sed & ingratis præstari volunt. Quod & Castrensis Theologus Hispanus confirmat de potestate legis



legis pœnalis lib. 2. c. 14. p. 572. cujus verba etiam refert Grotius d. c. 5. pag 74. Ex quibus apparet, inquit, quàm suspecta sit sententia eorum, quos suprâ retulimus, existimantium Genuenses, aut etiam Venetos posse non injuria prohibere alios navigare per Gul-
fum aut pelagus sui maris, quasi aquora ipsa præscripserint. Id quod non solum est contra leges, sed etiam contra ipsum jus naturæ, aut gentium primævum, quod mutari non posse diximus. Quod sit contra illud jus constat, quia non solum maria aut aquora eo jure communia erant, sed etiam reliquæ omnes res immobiles. Et licet ab eo jure postea recessum fuerit ex parte, puta quoad dominium & proprietatem terrarum, quarum dominium jure naturæ commune distinctum & divisum, sicque ab illa communione segregatū fuit: tamen diversum fuit & est in dominio maris, quod ab origine mundi, ad hodiernum usque diem est, fuitque semper in communi, nulla ex parte immutatum, ut est notum. Et quamvis ex Lusitanis magnam turbam sæpe audiverim in hac esse opinione ut eorum Rex ita præscripserit navigationem Indici Occidentalis (forte Orientalis) ejusdem VASTISSIMI MARIS, ita ut reliquis gentibus aquora illa transfretare non liceat, & ex nostrismet HISPANIS UVLGVS in eadem opinione ferè esse videtur, ut per VASTISSIMUM IMMENSVMq; PONTVM ad Indorum regiones, quas Potentissimi Reges nostri subegerunt reliquis mortalium navigare, præterquam Hispanis jus minimè sit, quasi ab eis id jus præscriptum fuerit, tamen istorum omnium non minus INSANAE sunt opiniones quàm eorum, qui quoad Genuenses & Venetos, in eodem ferè SOMNIO esse adsolent, quas sententias INEPTIRE vel ex eo dilucidius apparet, quod istarum nationum singula contra seipsas nequeunt præscribere: hoc est, non Respublica Venetiarum contra semetipsam, non Respublica Genuensium contra semetipsam, non Regnum Hispanicum contra semetipsum, non Regnum Lusitanicum contra semetipsum. Esse enim debet differentia inter agentem & patientem. Contra reliquas verò nationes longè minus præscribere possunt, quia jus præscriptionum est merè civile, ut fusè ostendimus supra. Ergo tale jus cessat cum agitur inter Principes & populos, superiores non recognoscens in temporalibus. Fura enim merè Civilia cujuscunque regionis quoad exteros populos, nationes, vel etiam ho-
mines



mines singulos, non magis sunt in consideratione, quam si re vera esset tale jus, aut nunquam fuisset, & ad jus commune gentium primarium vel secundarium recurrendum est, eoque utendum, quò jure talem maris præscriptionem & usurpationem admissam non fuisse satis constat. Nam & hodie usus aquarum communis est, non secus quam erat ab origine mundi. Ergo & in aquoribus & aquis nullum jus est aut esse potest humano generi, præterquam quoad usum communem. Præterea de jure naturali & divino est illud præceptum, ut *Quod tibi non vis fieri, alteri non facias*. Vnde cum navigatio nemini possit esse nociva nisi ipsi naviganti, par est, ut nemini possit aut debeat impediri, ne in re sua naturalibera, sibi que minimè noxia navigantium libertatem impediatur, & ledat contra dictum præceptum & contra regulam præsertim cum omnia intelligantur esse permissa, quæ non reperiuntur expressim prohibita. Quinimò non solum contra jus naturale esset, velle impedire talem navigationem, sed etiam tenemur contrarium facere, h. e. prodesse iis, quibus possumus, cum id sine damno nostro fieri potest. Inter has utilitates innoxias refert Grotius d. I. B. lib. 2. c. 2. n. 15. morari aliquantisper prætervehentibus aut prætercuntibus valetudinis aut alià quâ justâ de causâ, licere, Francisc. Victor. d. Ind. relect. 2. n. 1.

XIX. Eleganter Grot. d. I. B. in prolegom. statuit, custodiam societatis humano intellectui convenientem esse fontem ejus juris, quod propriè tali nomine appellatur, & ad hoc pertinere alieni abstinentiam. Grot. d. I. B. lib. 1. c. 1. n. 10. & si quid alieni habeamus aut lucri inde fecerimus restitutionem, idem Grot. d. I. B. lib. 2. c. 10. n. 1. 2. *Contra naturam esse*, ait Tullius lib. 3. d. Offic. (quem librum non suo pretio habitum dicit Grot in Epist. ad Gall. 16. ideo quòd omnium manibus teritur) *Ex hominis incommodis suum augere commodum*. Et alibi: *Illud natura patitur*. Atque ita videmus sentire non Judæos tantum, Vide Canones pœnitentiales Mosis Maimonidæ cap. 2. §. 2. & Mosem de Kotzi præcepto jubente 16. sed & Mahumetistas, Grot. d. I. B. lib. 3. c. 10. n. 3. 4. 5. Hujus Edicti tanta est æquitas, ut Jcti Romani extra legum præscripta hinc multa definiant, semper ad ipsam æquitatem ut evidentissimâ provocantes, Promissorum implendorum obligationem,



tionem, Grot. d. I. B. lib. 2. c. 11. & ad Evangelist. Matth. c. 5. 37. pag. 112. & seq. Marcus Tullius d. offic. lib. 1. tantam promissis vim tribuit, ut fundamentum justitiæ fidem appellet, quam & justitiæ sororem dixit Horatius, & comprobatur hoc Sapientium consensus. Fide enim non tantum Respublica quælibet, sed & major illa gentium societas continetur. Hæc sublatâ, ut verè ait Arist. Rhet. ad Theod. 1. c. 15. tollitur, quod inter homines est commercium. Meritò itaque Cicero nefarium esse ait, fidem frangere, quæ continet vitam, Grot. d. I. B. lib. 3. c. 25. n. 1. Quintiliano lib. 2. c. 29. *Fides supremum rerum humanarum vinculum est: sacra laus fidei inter hostes.* Et Augustin. Epist. 205. ad Bonifacium: *Fides, quando promittitur, etiam hosti servanda, contra quem bellum geritur.* Omnes enim homines, qui ad usum rationis pervenerunt, sunt capaces juris ex promisso: Atqui hostes qui sunt, non desinunt esse homines: Cum quibus itaq; est societas rationis & sermonis, illis data fides est servanda; Nec verò putandum, quòd hosti falsum eloqui aut licere aut crimine vacare, multorum sententia sit, Vid. Grot. d. I. B. lib. 3. c. 1. n. 17. eadem ratione hoc ad fidem datam, vel sermonem promittentem referri posse. Promissio enim verum jus confert, aut verum eloquendi obligatio est ex causa, quæ bello fuit anterior, & bello fortè aliquatenus tolli potest. Arist. Nic. 4. 19. Et repudiandus Cicero, cum ait, perjurium nullum esse, si prædonibus pactum pro capite pretium non adferatur, ne si juratum quidem sit, quia pirata non sit ex perduellium numero definitus, sed communis hostis omnium, cum quo nec fides esse debeat, nec jusjurandum commune. Quamvis enim prædones & piratæ non habeant specialem illam communionem, quam in bello solenni & pleno inter hostes introduxit jus gentium; Verum quia homines sunt, communionem habent juris naturalis, ex quo nascitur, ut pacta sint servanda Grot. d. I. B. lib. 2. c. 13. n. 15. & lib. 3. c. 19. n. 2. Porro damni culpâ dati reparationem, de quo Grot. d. I. B. lib. 2. c. 17. Ut verò mancipium aut animal, quod damnum aut pauperiem facit, noxæ dedatur, id non esse ex jure naturali præcipiente, sed ex jure Civili. Dominus enim, qui in culpa non est, naturâ ad nihil tenetur. Less. d. 7. & 7. lib. 2. c. 9. p. 17. Hugo de Ro-



de Røye de eo quod iustum. pag. 147. Ludovic. Molin. d. iust. & jur. tract. 2. d. sp. 713. n. 3. & 6. Grot. d. I. B. d. c. 17. n. 21. porro refert pœnæ inter homines meritum Grot. d. I. B. lib. 2. c. 20. Veruntamen, ut illa publicorû judiciorum potestas exerceatur citra dispendium Christianæ lenitatis, multis cautionibus opus esse dixit Grot. ad Evangelist. Matth. c. 5. pag. 124. in fin. ad verb. docet nos. & d. I. B. lib. 2. c. 20. n. 12. ibi: Hæc ergo. quod meritum, quia est personale, quippe ex voluntate ortum habens, quâ nihil est magis proprium, exinde infert Grot. d. I. B. d. lib. 2. c. 21. n. 12. neminem delicti immunem ob delictum alienum puniri posse, uti hoc solidis rationibus confirmat & contraria diluit. Notandum hîc, quod recta ratio & natura societatis non omnem vim prohibeat, sed eam demum, quæ societati repugnat, i. e. quæ jus alienum tollit: eruditè Grot. d. I. B. lib. 1. c. 2. n. 1. *Nam societas eò tendit, ut suum cuique saluum sit communi ope ac conspiratione. Quod facile intelligi potest, locum habiturum, etiamsi dominium (quod nunc ita vocamus) introductum non esset, nam vita, membra, libertas sic quoque propria cuique essent, ac proinde non sine injuria ab alio impeterentur. Et paulò post: Non est ergo contra societatis naturam sibi prospicere atque consulere, dum jus alienum non tollatur: ac proinde nec vis, quæ jus alterius non violat, injusta est. Nec omne bellum juri naturali repugnat, uti hoc firmis rationibus evincit Grot. d. I. B. lib. 1. c. 2. & in comment. ad Evangelist. Matth. c. 5. 40. pag. 127.*

XX. Quid dicendum de iis, qui in Republica omnia ad rationem cujuscunque status, atque adeo ex commodo Reipublicæ quamvis injustæ omnem honesti vim metiuntur, ut illud sit iustum, quod publicè præsentî statui expediat, num illi præ aliis politici audire, vel an ejusmodi sententiæ omnibus veris politicis adscribi debeant? Exponendum hîc est, *πολυτέλιον* sive ratio status, quod illa locutio priscis Latinis auribus sit insolens, & non ita pridem ex Italico verbo tenus translata, & Latinè illa optimè exprimi possit per comòdum publicum civitatis, qualis cum primis de præsentî est. Quod igitur comòdum publicum Reipublicæ exigit, illud ratio status postulat, & hoc sensu in illa voce nihil vitii latet, quod verò hujus præ-

textu



textu sæpenumero flagitia dominationis exerceantur, est extra illius innoxiam significationem. Ex quibus consequitur, quia multiplex est Reipublicæ forma, rationem status non unam, sed variam esse. In justa Republica nihil est utile, quod turpe est & inhonestum; non negamus, nonnunquam turpe facinus civitati aliquid emolumentum præstare, verum, si rem accuratè pensitemus, hoc non est perpetuum, sed momentaneum, & majore incommodo nocet. In tali itaque Republica, in qua ad conservationem status nil facit, quod non est honestum, verus politicus pro fine & scopo consiliorum rationem status & publicam salutem supremam legem judicabit, & nihil, quod est turpe, commendabit, quod si secus fecerit, non potiore jure agit Politicum, quàm Medicinam professus, se Medicum præbet, dum pro pharmaco miscet toxicum, quia verò nihil eorum ignorare debet, quæ statum Reipublicæ perturbant, accuratè scire debet fraudum & scelerum vias, quæ Rempublicam labefactant, sicut Medicus venena. Alia ratio est Rerumpublicarum injustarum, cujus etiam fuerint formæ. Sicut enim illarum est injusta origo, ita etiam solis bonis artibus non possunt conservari, sed obtinent hoc in statu dominationis flagitia & scelera, honesta tamen insignem utilitatem præbent & turpibus consiliis præferenda. Illis itaque jure meritoque nomen Politici tribuitur, qui humano generi & Reipublicæ maximè consulunt; Contra, qui vim honesti planè infringunt, leges humanæ communis omnium societatis evertunt, Rebuspublicis etiam justè partis maximè nocent, cum talibus flagitiis dominationis ad conservandam Rempublicam utuntur. Nunquã etiam ab orbe condito verè prudentes regendæ & administrandæ Reipublicæ, aut politici id genus ministri sunt habiti. Verum non levis difficultas hinc oritur, quod optimi Rerumpublicarum Rectores malis artibus sæpe utantur, nec ullam Rempublicam absque illarum exercitio posse parari vel conservari: sic enim commune est illis consilia celare, magna-que negotia arcanis modis expedire, quod non videtur generosi animi, adeoque nullam laudem, sed vituperium mereri. Nec non valde commune est contra animi sententiam multa in vita civili dissimulare, idque cum in sermone, tum in aliis actio-



nibus. Exstat apud Ælianum dictum Pythagoræ duabus rebus hominem ad Deum proximè accedere, vera semper loquendo & benefaciendo aliis, & apud Jamblichum veracitas dux dicitur ad omnia divina humanaque bona. Aristot. 4. *Nicom.* 8. magnanimus verum & liberè loqui amat, Grot. *d. I. B. lib. 3. c. 1. n. 20.* Huc pertinet, illa nonnunquam permittere, quæ sunt intrinsecè & suâ naturâ turpia & ad scelera connivere. Plato 3. *d. Repub.* imperium habentibus concedit falsum dicere, Grot. *d. I. B. d. c. 1. num. 15.* Fœdera belli & pacis, licèt juramento sint corroborata, non eâ sanctimoniâ, quâ par est, servantur, ut exemplis confirmatum ivit Nicolaus Mylerus ab *Chrenbach* *Nomolog. ordin. imp. c. 8. n. 3. 4. 5.* Ex quibus jam deductis à quibusdam in dubium vocatur & assertivè quasi disputatur: An Princeps promissa ex necessitate publica, cessante necessitate, infringere queat? Ac an nō vis, carcer, metus, fœdera irritare possit? Sanè Nicolaus Machiavellus scribit: Non chartas aut scripturas, sed vim & necessitatem Principem ad servandâ fidem adigere: quâ cessante promissa quoque pacta & fœdera evanescere: ita enim ejusdem formalia sonant: Non puo per tanto un Signore prudente, ne debbe osservare la fede, quando tale osservanza gli torni contro, & che sono spente le cagioni che le fecero promettere. Et se gli homini fosseno tutti buoni queste precetto non saria buono: ma perche sono tristi e non l'osserverebbono à te, Tu ancora non l'hai osservare à loro. Ne mai ad un Principe mancaranno cagioni legitime di colorar l' in osservanza, di questo se ne potriarno dare infiniti essempli moderni, & mostrare quante paci quante promesse Sieno state fatte irrite & vane per la infedeltà de Principi, ed à quello che hà sabuto meglio usari la volpe è meglio successo. Ita de Principibus Machiavell. del Principe cap. 18. ac nei Discorsi lib. 3. cap. 42. Simili modo exceptionem vis & metus Regiam esse exceptionem in promissis & fœderibus tradit Cassan. ès Recherches



cherches des droits de France lib. I. c. 5. p. 293. Nec Reges & Principes promissa servare obstrictos esse, si utilitas publica & status ratio aliter suadeat, Statista asserunt. Qui jam olim ad humani generis perniciem in aulis ac confessu Regum decantatos versiculos in ore habere solent:

— — Sanctitas, pietas, fides

Privata bona sunt, qua juvat Reges eant.

Quos refert Servus apud L. Anna. Senecam in Traged. in Thyeste act. 2. Et alibi: Id esse Regni maximum pignus putant, si quicquid aliis non licet, solis licet. Seneca d. lib. in Agamemn. act. 2. Hoc perniciosum Machiavelli dogma, nimirum Principem quidvis & simulare & dissimulare debere, quoties ipsi utile videbitur; non heri nuperve natum, sed multorum jam olim animis insitum fuit. Talem enim Pseudo-Politicum Plutarchus describit Lysandrum Spartanorum Regem, hominem versutum & pleraque fraudibus miscentem. Qui jus in sola ponens utilitate, veritatem nihilo majorem esse mendacio, agebat, sed utriusque dignitatem ac pretium usu desiniri. Idemque ob violatum quoddam jusjurandum reprehensus, pueros astragulis, viros sacramenti decipi debere, respondit. Plutarchus in Lysandro. Talis quoque Euphemi illius apud Thucydidem sermo est: Viro aut urbi, Principique nil injustum, quod fructuosum. Thucydid. histor. lib. 6. Matth. Bernegger. Obs. Histor. Polit. 24. Burgundia itaque Duci nihil profuisse Confluentiae Pacem, rei Dominica translationem Choppinus refert; qui Galliae Regem eo perpulerat, ut ipsi Montrolium locum maritimum daret, Ambianos item ac finitimas urbe perpetuo possidendas Anno M CCCC LXV; Ast non diu post Patrum decreto rescissum fuit infame foedus, ac propalam cremari jussum. Renat. Choppin. de dom. lib X. cap. I. n. 7. Hinc Manuel Comnenus Imperator mo-



nenti Consiliario, ut cum Turcis inita pacta servaret: pa-
 rum se ea curare, quæ necessitate promissa essent, respondit.
 Nicet. Choniat. lib. 6. *Annal.* Ac Franciscus Maria Vrbi-
 ni Dux (discrimen faciendo inter Regem absolutum & Dy-
 nastam aliquem inferiorem) dicere solebat: Quod si Nobilis
 aut Dynasta, qui superiorem recognoscit, fidem non serva-
 ret, ignominiam & vituperium omnium incurreret ubique;
 Principes autem, qui superiorem non recognoscunt, possunt
 citra magnum vituperium tractatus & pacta inire & ab
 iisdem discedere; contrahere fœdera & ab iisdem resilire;
 mentiri, decipere, & alia huiusmodi generis omnia patra-
 re, sub solo pretextu, Ratione status. Referente Cardinale
 Domino Ossat. lib. 3. *Epistol. Legat.* 87. fol. m. 372. Simi-
 liter Franciscum I. Gallia Regem non aliam habuisse repeten-
 di belli contra Imperatorem Carolum V. causam, quàm quod
 ad conditiones in captivitate initas se minimè teneri dice-
 ret. Ioan. Bapt. Hadrian. in *histor. Ital.* sub Franc. I. Cas-
 san. dict. lib. cap. 5. De quo sequentia Bellajus: Quæ Rex
 eò facilius promisit, quod satis intelligeret, quicquid à se ca-
 ptivo, quum in custodia asservaretur, fide neque accepta
 neque data promitteretur, id nullum pondus habiturum: &
 filios suos postea pecunia redimi posse consideret, Martin. Bel-
 laj Langle. *Comment.* lib. 3. fol. m. 84. Quod latius refert
 & defendit Renut. Choppin. de *doman.* lib. 2. cap. 1. n. 7.
 Ipse Imperator Carolus V. cum ab ipso promissorum fides re-
 posceretur: obsecundasse temporis respondit, si credimus
 Augusto Thuan. *histor.* lib. Eo quoque animo, & eà va-
 fritie fuit Regina Scotia Miria Guisia, Iacobi V. Stuardi
 Scotorum Regis relicta Vidua & regens Scotia regnum: Ad
 quam cum Anno Christi M D LIX. à Congregatis fœderatis
 (sic dictis, qui à Catholica R. religione secedebant) Legati
 mitterentur; qui supplices regia non ita diu antè promissa
 inme-



in memoriam revocarent, neve ea irrita redderentur, orarent; Multis elabendi & tergi versandi causa dictis tandem aperte & palam edixit: promissorum fidem à principibus exigendam, quatenus prestare eam ipsis expediat. Georg. Buchanan. Histor. Scotie. lib. 16. fol. m. 192. B. Carolus item IX. Gallia Rex, quicquid de religionum libertate antè cavisset, ac Protestantibus promississet, pro tempore statutum, non ut perpetuum esset, Hugonotis replicavit, referente Andr. Maurocin. Hist. Venet. lib. 8. Simili modo & Margaretha Parmensis, vi adactam Belgis quadam concessisse sese excusavit. Thuan. histor. lib. 38. Connestag. de bell. Belg. histor. lib. 2. Et hac status Regula & Ratione, etiam hodie adhuc dum Reges & Principes utuntur quandoque, imò plerumque; præsertim ii, qui absoluta potestate pollent, omnia nempe secundum utilitatem status & Regni mensurantes. Nam Sartorius Bava scribit: Regem Hispania stare & permanere in quasi possessione recedendi quandocunque à promissis & practicatis in Regni Sicilia capitulis. Bava in resolutione pro tracta salis fol. 12. & 14. Cùm tamen ex juramento homo non homini tantùm, sed etiam Deo obstringatur, adversus quem exceptio metus non admittitur. Dom. Soto d. Just. & Jur. lib. 8. q. 1. art. 7. Grot. d. l. B. lib. 3. c. 19. n. 5. & lib. 2. c. 13. n. 15. Alexand. de Imola in cap. verum X. d. jurejur. Eleganter Cicero Offic. 1. Nullum vinculum ad astringendam fidem majores nostri iurejurando arctius esse voluerunt. Hinc gravis poena perjuris imminere nunquam non credita, ut Hesiodus dixit de juramento:

-- -- -- clades mortalibus unde

Adveniunt, quoties fallaci pectore jurant.

Pax itaque facta qualibuscunque legibus, servanda omnino ob eam, quam diximus, fidei sanctimoniam, sollicitè que cavenda non tantum perfidja, sed & quicquid animos exasperat. Quod enim de privatis amicitiiis dixit Cicero, ad has publicas non minus rectè aptes, cùm omnes summa religione ac fide tuendas



endas, tum eas maximè, quæ ex inimicitiis revocatæ sunt in gratiam, Grot. d. I. B. & P. lib. 3. c. 25. n. 7. Porro Rectores Rerum publicarum leges civitatis frequentes abrogant, & novas sanctiones non sine mutatione rerum civilium instituunt, privatorum sanguini & vitæ ob rationem status non parcunt, & illius prætextu regna aliena occupant, & in suum usum nominant, quò vim hostium à se arceant. Hæc & alia quidem sunt in viridi observantia, quæ tamen dictamini rectæ rationis è diametro repugnant. Verùm, licèt ita cum rebus civilibus sit comparatum, ut hæc ab optimis Rectoribus ad conservandam Rempublicam sæpe debeant fieri, non tamen sunt omni ex parte injusta: Sine quo enim status Reipublicæ non potest conservari, illud si fiat, non est omni ex parte injustum. Ejusdem commatis sunt suprâ in medium allata, si secundum principia rectæ rationis examinentur. Primum enim quod attinet, haud dubiè crudè nimis à Cicerone 3. Offic. dictum est: *ex omni vita simulationem dissimulationemque tollendam.* Nam cum nec quæ scias, nec quæ velis, omnia aperire aliis tenearis, sequitur, ut dissimulare quædam apud quosdam, id est, tegere ac occultare fas sit, Augustinus libr. contr. mendac. c. 10. Licet, inquit, *veritatem occultare prudenter sub aliqua dissimulatione.* D. Thom. 2. 2. q. 40. art. 3. in resp. & q. 71. art. 7. Et necessariam hanc omnino atque inevitabilem his præsertim, quibus Respublica est commissa, non uno loco fatetur Cicero pro Milon. & pro Cn. Planco, quod & exemplis confirmat Grot. d. I. B. lib. 3. c. 1. n. 7. Nec, si nonnulla mala in Republica ad consequendum statum tolerantur, naturæ sociali & rationali repugnat, Grot. d. I. B. lib. 2. c. 20. n. 22. D. Thom. 2. 2. q. 77. art. 1. *Lex humana non potuit prohibere, quicquid est contra virtutem, sed ei sufficit, ut prohibeat ea, quæ destruunt hominum convictum, alia verò habeat quasi licita, non quia ea approbat, sed quia ea non punit.* Hæc D. Thomas, quibus adde, quæ ex Augustino libr. 1. d. lib. arbitr. asserit idem Thom. 1. 2. q. 91. art. 4. Angel. Mattheac. d. via & rat. juris lib. 1. cap. 23. Vasq. lib. 1. illustr. cont. cap. 48. & dicuntur Grotio d. I. B. lib. 3. c. 10. n. 1. multa licere, eò, quod impunè fiant, partim etiam, quòd judicia coactiva suam illis auctori-



auctoritatem commendent, quæ tamen aut exorbitent à recti
regula, sive illa in jure strictè dicto, sive aliarum virtu-
tum præcepto posita est, aut certè omittantur sanctius & cum
majore apud bonos laude. Plato lib. 12. d. legibus: παρ-
γένει γὰρ αἰδῆς Δίκη λέγεται καὶ ὄντως εἰρηλα. Emen-
dem πάρεδρος: ut sensus sit: Comes pudoris justitia voca-
tur, & meritò quidem. Nam & alibi idem Plato sic lo-
quitur: Θεὸς δέισας πρὸ γένει ἀνθρώπων μὴ ἄπολοιτο
πάν, δωρεῖται ἀνθρώποις αἰδῶτε καὶ δικὴν ἵν' εἴεν πόλεων κό-
σμοι τε καὶ δεσμοὶ Φιλίας συνάγωγοι. Deus metuens, ne
planè interiret genus humanum, dedit hominibus Iustitiam
ac pudorem, ornamenta civitatum, & ad amicitiam colli-
gandam vincula: Et Plutarchus simili modo δικὴν vocat
ἐνοικον αἰδῆς, justitiam pudoris cohabitatricem: qui & ali-
bi jungit αἰδῶ καὶ δικαιοσύνην. Apud Dionysium Halicar-
nassensem simul nominantur αἰδῶς κόσμος καὶ δική. pu-
dor decorum & honestum. Sic & αἰδῶ & ἴπτε κείαν co-
pulat Iosephus Pudorem & Æquitatem: Paulus quoque Iu-
ris Consultus conjungit naturale jus & pudorem. Cicero au-
tem inter justitiam & verecundiam ita fines regit, ut justiti-
æ partes statuatur non violare homines, verecundia non of-
fendere. Cum eo, quem ex Seneca adduximus, versu be-
ne convenit dictum ejusdem in scriptis philosophicis. Quàm
angusta innocentia est ad legem bonum esse? Quantò latius
officiorum patet quàm juris regula? quàm multa pietas,
humanitas, liberalitas, justitia, fides exigunt? quæ omnia
extra publicas tabulas sunt. Vbi vides, jus à justitia di-
stingui, quia jus accipit id, quod in judiciis externis viget.
Idem id alibi explicat egregiè exemplo juris herilis in servos.
In mancipio cogitanda est, non quantum illud impunè pati
possit, sed quantum tibi permittat equi bonique natura, quæ
parcere etiam captivis & pretio paratis jubet. Deinde:



Cum in servum omnia liceant, est aliquid, quod in hominem licere commune jus animantium vetet. Quo in loco notanda iterum vocis licere diversa acceptio, altera exterior altera interior. Ex contractibus & juramentis illi, qui summum habent imperium, tenentur, Grot. d. I. B. lib. 2. c. 14. illa tamē iustis de causis rescindi posse, nemo prudentum juris dubitat, Grot. d. I. B. lib. 2. c. 16. n. 25. 27. & lib. 3. c. 20. n. 40. & lib. 3. c. 19. n. 14. 15. 16. nec facimus cum Grotio d. I. B. lib. 2. c. 14. num. 1. qui affirmat, restitutionem in integrum esse ex iure civili, cuius contrarium solidis rationibus probavit magnus ille Conringius in auro tractatu de finibus Imperii Germanici cap. 19. num. 8. Quin etiam supremus Imperans in Republica leges merè civiles mutare possit, si id salus Reipublicæ exigat, est extra dubitationis aleam positum. Harum enim legum natura est, ut à voluntate humana pendeat non in origine tantum, sed & in duratione; non debet tamen legis auctor legem tollere, nisi probabili de causa, peccaturus alioqui in regulas iustitiæ gubernatricis, Grot. d. I. B. lib. 2. cap. 20. num. 24. Non enim Politicus temerariam legum mutationem probabit, sed eam tantum, quàm suprema lex, publica salus exigit. Præclare Cicero lib. 1. Epist. fam. 9. Nunquam præstantibus in Republica gubernanda viris laudata est in una sententia perpetua permansio, sed ut in navigando tempestati obsequi artis est, etiamsi portum tenere non queas: cum verò id possis mutatâ velificatione assequi, stultum est eum tenere cum periculo cursum, quem ceperis, potius quàm eum commutato, quò velis, tamen per venire. Et Aristoteles Polit. 2. 8. ob quasvis utilitates mutandam legem ἢ ὅτι τοσούτων ὠφελήσεσσι κινήσας, ὅσον βλαβήσεσσι τοῖς ἔρχουσιν ἀπειθεῖν εἰς ἰσοθεῖς. Neque enim mutando tantum quis consequetur boni, quantum nocebit consuetudo non parendi superioribus. Quem sensum Augustinus his verbis extulit: Consuetudinis mutatio quantum utilitate adjuvat, tantum



novitate perturbat. Augustus verò apud Dionem: τὰ ἐν
 παυλῶ μένοντα, καὶν χεῖρα ἢ συμφερώτερα τῶν αἰεὶ καινολο-
 γημένων. *Quæ in eodem manent statu, etiamsi pejora sint,
 magis prosunt, quàm quæ subinde novantur.* Zaleucus:
 τῶν ἢ κειμένων νόμων εἰς τίς δοκῆ μὴ καλῶς κείσθαι μετὰ
 τέμεν ὅτι τὸ βέλτιον μενόντων ἢ. πάντας πειθαρχεῖν ὑπὲρ
 ἀνθρώπων ἢ τῶν αἰσῶν ἢς κειμένων νόμων, ἔ καλόν, ἔδε συμ-
 φέρον. Ἐπὶ δὲ νόμος βελτίον ὅς ἢ ἡπόμενον κατακερταί-
 ονται, ἔ καλόν ἔ συμφέρον. *Legum, quæ in usu sunt, si qua
 non videatur recta esse, liceat eam mutare in melius. Sed
 dum manet lex, omnes ei obediant. Nam ab hominibus
 vinci leges neque bonum, neque utile est: at legi melio-
 ri eas velut victas cedere, & bonum est & utile. Ideo idem
 Zaleucus, ut leges muniret mutandi difficultate, constituisse
 dicitur, ut suasor abrogationis loqueretur ad populū collo in
 laqueum in erto, strangulandus nisi persuasisset. Apulejus:
 Nemo sponte capessat nova, nisi quem pœnituit priorum.
 Grot. in flor. spars. ad jus Iustinian. l. minimè ff. d. LL.
 Et quia civis maximæ multitudinis innocens vitæ vitæ suæ uni-
 us ex charitate præferre tenetur, potest civis innocens cogi, ut
 id faciat, quod exigit charitas, Grot. d. I. B. lib. 2. c. 25. n. 3. Sicuti
 & in magna frumenti penuria cives cogi possunt, quod habent,
 in medium conferre, Cajetan. 2. 2. q. 128. art. 3. 4. in gravissi-
 ma enim necessitate reviviscit jus illud pristinum rebus utendi,
 tanquam si communes mansissent. Guilielmus Amesius de
 Conscient. & ejus jur. lib. 5. c. 50. Arnold. Vinnius in not. ad
 Peck. dere nautic. p. 214. 215. Grotius d. I. B. lib. 2. c. 2. n. 6. 7.
 Leonard Lessius d. 7. & 7. lib. 2. cap. 12. dub. 12. n. 70. & lib. 2.
 c. 16. dub. 1. n. 7. Ex eodem fundamento licet illi, qui pium
 bellum gerit, locum occupare, qui est situs in solo pacato, si
 nimirum non imaginariū, sed certum sit periculum, ne hostis
 illum invadat, irreparabilia damna det, deinde si nihil sumat-
 tur, quod non ad cautionem sumatur, utpote nuda loci custo-
 dia, relicta domino vero jurisdictione & fructibus, & denique
 I 2 si fiat*



si fiat animo reddendæ custodiæ, simul atque necessitas illa ces-
 saverit. Grot. d. I. B. lib. 2. d. c. 2. n. 10. Et constat, posse sub-
 ditis jus quæsitum auferri ex jure supereminentis domini, *Marpurgenf. vol. 2. consil. 14. n. 211. 212. 213. & consil. 25. n. 88. & seq.* Ernest. Cothman. *Volum. 4. resp. 1. n. 103. & seq.* id ve-
 rò ut fiat, primùm requiritur publica utilitas, deinde ut, si fieri
 potest, compensatio fiat ei, qui suum amisit, ex communi, *Grot. d. I. B. lib. 2. cap. 14. n. 7. & lib. 3. cap. 20. n. 7. & n. 52. & lib. 2. c. 13. n. 2.* Vid. Bœclerum ad Grot. dub. 1. c. 1. pag.
 122. & seq. & pag. 116. ibi: *Venimus ad exemplum domesti-
 cum, quando pactione Osnabrugensi, difficilima deliberatio
 incidit; quomodo Regibus paciscentibus, Gallo, Suecoque lo-
 corum jure belli possessorum restituendorum nomine, satis-
 fieret. Prima, qua de cedendis quibusdam provinciis ac
 ditionibus ferebatur, vox, necessitatis publica jure, vo-
 luit exaudiri: neque tamen extra invidiam, & contradi-
 ctionem fuit, inter illa sedulo tum disceptata. Quis aucto-
 rem se huius rei facit, & quo jure? Qui, & quot subscri-
 bere tali sententia audent? Et quanam de rebus ullius ex
 Ordinibus invitæ pactio esse potest? Donec multis ultro
 citroque dictis, tandem Casarea Majestas de consensu Ele-
 ctorum, Principum & Statuum Imperii, cum primis inter-
 essatorum, S. R. M. Regnoque Suecia concessit certas ditio-
 nes, pleno jure in perpetuum & immediatum Imperii feu-
 dum; illis autem, qui jure suo in has ditiones cesserant, Prin-
 cipibus, pro equivalente recompensatione (retinemus enim
 verba sanctionis pragmatica) pari modo & formula, tradi-
 dit alias ditiones, qui ita sibi satisfactum declarârunt. Eâ-
 dem ratione Gallia ab Imperatore & Imperio & Domo Au-
 striaca, alia nexu feudali planè libera recepit. Qui rebus
 tractandis interfuerunt, sciunt, ista consultatione super-
 eminentis domini rationes probè excussas esse, in quantum
 scilicet Imperium Romanum, ut unam Rempublicam conside-
 ramus,*



ramus, in qua hoc jus Majestatis non nisi ab Imperatore & Imperio, sive ordinibus simul exerceri potuit. Ad quaestiones autem consilii, magnas illas quidem & profundas, quæ tum in argumentum disputationis venerunt, circa negotium unius causis, conditione diversa, terminatum, nihil attinet sermonem proferre. Vid. Dn. Conringius de Civil. prudentia cap. 2. Mevius in discuss. levam. inop. debit. c. 2. n. 36. & seqq. Arnisaus d. jur. Majestatis lib. 3. c. 1. n. 8. 9. Gail. lib. 2. observ. 56. Et quidem propter commodum pacis Principe auctore etiam privatorum non consentientium bona alienari, actionesve remitti posse, omnium Doctorum non modò nostræ professionis, sed & Theologorum sententia est. Nec putandum, hoc repugnare juri divino & naturali dictanti, ut unicuique suum servetur, nemini suum auferatur; quoniam (ut Cicero dixit) salus populi suprema lex est, nihil Deo acceptius, & magis secundum naturam, quàm ut publica tranquillitas, utilitasq; procuretur. Juris divini & naturalis multæ sunt regulæ, & earum aliæ superiores, aliæ inferiores; quas quoties eventu collidi contingit, inferiores superioribus cedunt, quin etiam ab his interpretationem exceptionemque recipiunt: atque adeò regula inferior, quæ dictat, suum nemini esse tollendum, sic accipi debet, ac si conjunctâ superiore, lex uno verborum complexu sic scripta foret: Nemini suum est tollendum, nisi tamen publica salus aliud postulaverit. Ordinem enim illum Deus naturæ parens, à quo Principes omnes curam humanæ societatis, & formam regendæ Reipublicæ acceperunt, constituit, ut privatis publica, & pretiosis pretiosiora anteferantur. Justum quidem omnibus legibus, quenquam suas res tenere, sed justius earundem legum nutu, res suas quibusdam adimi, quàm ut eò omissa pax & quies totius populi impediatur. Æstimanda est justitia ex omnibus circumstantiis, & ut Thryphoninus scripsit, hæc demum justitia est, quæ suum cuique ita tribuit, ut non distrahatur ab ulla majori justitiæ ratione l. bona fides ff. deposit. Grot. d. I. B. lib. 2. cap. 10. n. 1. Sic usucapio, multaque alia legibus constituta, primâ facie dura & iniqua apparent, quæ penitus inspecta, reperiuntur æquissima



suma: ubi videlicet publica necessitas æquitatem vincit; citius dixerim, ubi æquitas publicam necessitatem secuta est. Petr. Gudelin. *de jur. pacis. cap. 6.*

XXI. Restat, ut inquiramus, An jus naturale sit immutabile? quod affirmamus, adeò ut ne quidem à Deo mutari possit. Licet enim immensa sit Dei potentia, dici tamen quædam possunt, ad quæ illa se non extendit, quæ quidem ita dicuntur, sensum autem, qui rem exprimat, non habent, sed sibi ipsis repugnant, quare Omnipotentia est ipsa essentia divina, quatenus eâ Deus potest facere, quicquid fieri est possibile & in agente nullam imperfectionem importat; id verò possibile est fieri, quod fieri contradictionem importat; quod verò implicat contradictionem, id fieri impossibile est. Ex quibus hoc cons. clarium elici potest, quod Deus, quatenus omnipotens est, facere possit illud omne, quod fieri non implicat contradictionem, quod verò fieri contradictionem implicat, illud facere Deum non posse. Sic non repugnat fieri hominem. est enim homo per essentiam animal ratione præditum, at fieri hujusmodi animal nulla contradictio est; contra verò repugnat fieri hominem animâ rationali destitutum: Cum enim essentia hominis sit, esse animal rationale, sunt contradictoria, hominem esse & animâ rationali destitutum. In illis verò, quæ fieri possible sunt, multa reperiuntur, quæ in agente imperfectionem importat, nec à Deo per omnipotentiam fieri possunt. Hinc, docente Scripturâ, *Deus se ipsum negare non potest 2. Tim. 12. 13. Et mentiri non potest, Tit 1, 2.* Quicumque enim mentitur, non est summè verax. At Deus est summè verax. Pari ratione, quum sit summè justus, injustè agere nequit. Vid. *Incomparabilis Musæus in Instit. Metaphys. c. 6. §. 7. 8.* Sicuti igitur, ut bis duo non sint quatuor, vel ut homo sit animal animâ rationali destitutum, Deus efficere non potest, ita nec hoc, ut, quod intrinsicâ ratione malum est, malum non sit, Suarez *d. LL. lib. 2. cap. 5. n. 2. & 4. & cap. 6. & lib. 2. cap. 13.* Itaque & Deus ipse secundum hanc normam de se judicari patitur *Genes. XVIII. 25. Esai. V. 3. Ezech. XLIX, 25. Jerem II. 9, Mich. VI. 2. Rom. II. 6. & III, . 5. Grot. lib. 2. cap. II. num 4. & lib. I. c. I. n. 10.* qui tamen concedit fieri interdum, ut in his actibus, de quibus jus
natura



naturæ aliquid constituit, imago quædam mutationis fallat in-
crautos, cum reverâ non jus naturæ mutetur, quod immutabi-
le est, sed res, de qua jus naturæ constituit, quæque mutatio-
nem recipit, e. g. si creditor, quod ei debeo, acceptum ferat,
solvere non teneor, non quod jus naturæ defierit præcipere
solvendum, quod debeo, sed quia, quod debebam, deberi le-
fuit, quod dilucide explicat B. Calixtus in *Theol. Moral. d. LL.*
cujus verba hîc subjungimus: *Hinc porro sequitur, à lege
naturæ sive præceptis decalogi neminem eximi, vel licenti-
am contrâ faciendi impetrare posse ne ab ipso quidem Deo;
Sive dispensare, ut loquuntur, in lege naturæ ne Deus quidem
potest, hoc est, manente eodem objecto & iisdem circum-
stantiis non potest fieri, nec auctoritate divinâ concedi, ut
id ab homine citra crimen aliter vel contrâ tractetur, quàm
lex naturæ exigit. Si concederetur enim, Deus æternæ
legi & justitiæ suæ, quæ est ipse, derogaret, sive utramque
eversum iret; quod cogitatu absurdum impiumque. Dico
autem: manente eodem objecto & iisdem circumstantiis:
nam objectum & circumstantias mutare Deus potest. Mu-
tatis objecto & circumstantiis poterit actio non esse contra-
ria legi naturæ, quæ manentibus contraria fuisset. Rem
alienam in vito domino sine peccato nemo potest auferre;
nec ut auferat, cuiquam à Deo vel præcipi, vel permitti,
quamdiu manet aliena. At quando Israëlitas auferre jussit
Ægyptiorum aurea & argentea vasa, auctoritate suâ supre-
mâ Israëlitis hæc ipsa in mercedem maximorum laborum,
quos urbes Ægyptiis adificando exantlavérant, ad judica-
vit, atq; adeo, ut, quæ prius aliena, jam propria essent, effecit.
Israëlitæ itaq; ex Ægypto non res alienas, sed suas asportâ-
runt. Vid. Dominum Musæum in *disput. d. jur. in gener**

n. 56. & 57. Et Dn. Hornej. in *Philos.*

Moral. lib. 4. c. 3. n. 36.

FINIS




DE naturali ponens nunc lem-
mata jure
Reichi, quid juris te didicisse
probas.

Cætera si tanto conamine jura pa-
rabis,

Tum Doctor juris jure opulen-
tus eris.

Ita Præstantissimo & doctissimo
Dno. Respondenti gratulatur

Præses.



Sprecht! Herr Reiche! So! Send ferner nur beflissen
Den angefangnen Jugendlauff zu sehen tapfer fort:
Dan ligt der blasse Meid bereit zu euren Füßen:
Hingegen Glück und Ehr und Ruhm die warten eurer dore/
Wo Themis gleich die Hand ausstreckt den Lohn euch zu bereiten/
Und Fama schon die Flügel schwingt der Welt es anzudeuten.

Dieses setzte glückwünschend hinzu

Johann Conrad Lübbren D.


F I N I S.

X2615930

WDA







B.I.G.

Farbkarte #13



Ratio Academica
de Naturali

Quam
PRÆLECTIONIBUS GRO-
NIS COLLECTAM
favente Numine

1668, 2. a

Sub Praesidio
ni, Consultissimi & Excellentissimi
ERNHARDI

Schulken
Illustri Acad. Hasso-Schauenb.
Consiliarii item Hassiaci, nec non Consistorii
ad est Rinthelii, Adfessoris gravissimi,
ni ac Promotoris sui magni et atemque
venerandi.

Studiolorum examini submitter.
Burchardt Reichen
senhag. Schaumb.
Id. diem Jun hor. matut.



RINTHELII,

ächters, Acad. Typ. An. 1668.

34.

17-20

